MANUALE POETICUM,

SIVE

ARS

CONDENDORUM ET ORNANDORUM VERSUUM;

A. H. KERZMANN,

PRESB. RECTORE GYMNASII GERARDIMONTENSIS.

GERARDIMONTIBUS,

TYPIS P. VAN RENTERGHEM.

M DCCC XXX.

Ad Lectorem.

Manuale artis poëticæ græcæ et latinæ in usum alumnorum meorum componere cupiens, attento animo perlegi clarissimos auctores, qui vel olim vel nostris temporibus hanc artem scriptis tradidere; ut quidquid, in profusis eorum commentariis, tironum captui maxime accommodatum reperiretur, brevi compendio complecterer. Sic natum est hoc Manuale poëticum, divisum in quatuor partes duobus voluminibus explicatas. Primum, quod nunc favente Deo in lucem prodit, volumen, agit de Rhythmo variorum versuum utriusque linguæ, et de Elocutionis poëticæ dotibus : alterum volumen, mox prælo subjiciendum, tradet præcepta Artis poëticæ, proprie dictæ, juxta

mentem Aristotelis, et brevem historiam criticam poëtarum, qui inter Græcos et Romanos immortale nomen carminibus suis adepti sunt; huic quoque volumini adjicietur tractatus de Versificatione belgicâ. Morbo diuturno, quo laboravi, accidit, ut nonnulli errores typographici in parte Rhythmicâ, correctoris attentionem fugerint; illos benevolus excuses, optime lector. Nævos graviores in fine voluminis indicabit tabula Erratorum. Si quid ad promovendum studium Poëseos conferet hocce meum opusculum, voti mei compos ero, solam enim utilitatem studiosæ juventutis illud componens mihi proposueram. Fave, amice lector, et vale.

INDEX

EORUM QUÆ SINGULIS CAPITIBUS TRACTANTUR.

PARS I.

*

PARS II.

PARS PRIOR,

SEU

RHYTHMICA VERSUUM

GRÆCORUM ET LATINORUM.

CAPUT I.

De pedibus metricis, cæsuris, variisque nominibus versuum.

I. Versus, Græcis στίχος, s. κῶλον, est pedum metricorum definita et numerosa connexio.

Pedes autem metrici constant duabus, vel tribus, vel quatuor syllabis certâ quantitate notatis.

Quantitas syllabarum dijudicatur tardiore aut celeriore pronuntiatione. Brevissima est unius temporis, et notatur hoc signo ˘; longissima est duplicis temporis et notatur ¯; inter utramque sita est anceps ˘̄, quæ nunc unius nunc duplicis est temporis. De syllabarum quantitate agit Prosodia. Ratio quâ in omni versu per arsim et thesim vox numerose inflatur et decrescit, quæque nascitur ex legitimâ syllabarum quantitate, dicitur Rhythmus.

II. Pedes metrici, pro numero syllabarum quibus

conficiuntur, sunt dissyllabi, trissyllabi, aut tetrasyllabi.

Dissyllabi habentur quatuor :

1° *Pyrrhichius*, cui nomen inditum videtur ab igneâ (πῦρ), quâ fervet velocitate, constat duobus temporibus, id est, duabus syllabis brevibus, ut...rŭĭt, ăquă.

2° *Iambus*, ita dictus a sua mordacitate (ἰαμβίζω), syllabæ brevi subjicit longam, ut.....fĕrōx, mălūm.

3° *Trochæus*, a velocitate suâ rotatili (τρόχος), longam præmittit brevi; idem, quod frequens esset in choris, appellatus est quoque Choreus, ut...sāxă, mūsă.

4° *Spondæus*, s. *Spondeus*, aptus imprimis gravitati sacrificiorum (σπονδὴ), constat duabus longis, ut cœlūm, īngēns.

Pedes trissyllabi numerantur octo :

1° *Tribrachys*, ut indicat nominis etymologia (τρεῖς et βραχὺς), complectitur tres breves, ut ănĭmă, mĭsĕră.

2° *Molossus*, quo præcipuè delectabantur Molossi, populus Epiri, habet tres longas, ut mājēstās, sūccūmbūnt.

3° *Bacchius*, s. *Baccheus*, clamoribus aptus et Baccho sacer, brevem præmittit duabus longis, ut : vŏcābānt, mălōrūm.

4° *Antibacchius*, s. *Palimbacchius*, contrarius Bacchio, duabus longis addit brevem, ut : rēgīnă, cāntārĕ.

5° *Amphibrachys* brevi (βραχὺς,) utrinque (ἀμφὶ) obsidet longam, ut.........dŏlērĕ, rĕcūmbŏ.

6° *Amphimacer*, s. *Creticus*, longâ (μακρὸς) utrinque cingit brevem, ut.......ōmnĭŭm, prǣstĭtī.

7° *Dactylus*, ita nominatus ab articulis digiti (δάκτυλος, digitus) post longam habet duas breves, ut : pēllĕrĕ, gaūdĭă.

8° *Anapæstus*, quem ita appellatum arbitror, quod contra quam in Dactylo terram ferit (ἀναπαίω), duabus brevibus adjicit longam, ut.......vĕhĕmēns, Bŏrĕās.

Pedes tetrasyllabi sunt sex supra decem :

1° *Proceleusmaticus*, ab hortatu militari (προκελεύω), constat ex duplici Pyrrhichio, ut............tĕnŭĭă.

2° *Dispondæus*, ex duplici Spondæo, ut : īnvēstīgāns.

3° *Dichoreus*, ex duplici Choreo, ut.....ērūdītŭs.

4° *Dijambus*, ex duplici Iambo, ut....ămænĭtās.

5° *Choriambus*, ex Choreo et Iambo, ut : īmpătĭēns.

6° *Antispastus*, qui quum a brevi processit ad longam, retrahitur (ἀντισπάται) a longâ ad brevem, constat ex Iambo et Choreo, ut.................pĕrīllūstrĕ.

7° *Ionicus a minore* Pyrrhichium præmittit Spondæo, ut...................................mĕtŭēntēs.

8° *Ionicus a majore* incipit a Spondæo et deponitur Pyrrhichio, ut..........................sēntēntĭă.

His accedunt quatuor Epitriti totidemque Pæones. Illi constant ex tribus longis et unâ brevi, hi vero ex unâ longâ et tribus brevibus. A sede quem syllaba brevis in Epitritis, et longa in Pæonibus occupant, sortiti sunt cognomen primi, secundi, tertii et quarti : itaque

9° *Epitritus primus* constat ex Iambo et Spondæo, ut..................................rĕfōrmīdāns.

10° *Epitritus secundus* e Trochæo et Spondæo, ut : ādmĭnīstrāns.

11° *Epitritus tertius* e Spondæo et Iambo, ut : īntēllĭgēns.

12° *Epitritus quartus* e Spondæo et Trochæo, ut : īnfīnītă.

13° *Pæon primus* ex Trochæo et Pyrrhichio, ut : hīstŏrĭă.

14° *Pæon secundus* ex Iambo et Pyrrhichio, ut : mŏdēstĭă.

15° *Pæon tertius* ex Pyrrhichio et Trochæo, ut : ŏpŭlēntă.

16° *Pæon quartus* ex Pyrrhichio et Iambo, ut : cĕlĕrĭtās.

Pedes considerari possunt, vel ratione numeri syllabarum quibus constant singulæ voces, et vocantur pedes *soluti;* vel ratione ordinis Rhythmici, quem in versibus occupant, et appellantur pedes *adstricti.* In hoc v. g. Hexametro Heroïco :

Infandum, regina, jubes renovare dolorem.

Tot sunt pedes adstricti quot vocabula, sc. *infandum,* Molossus; *regina,* Antibacchius; *jubes*, Iambus; *renovare,* Pæon tertius; *dolorem*, Bacchius.

Pedes vero adstricti adsunt sex, sc. : *infan-* Spondeus, *dum re-* Spondeus, *gina ju-* Dactylus, *bes reno-* Dactylus, *vare do-* Dactylus, *lorem*, Spondeus.

III. Dictio Rhythmico ordini adstricta interdum ita secatur, ut prior illius pars sit finis alicujus pedis, et posterior initium pedis subsequentis. Ea sectio vocabuli dicitur *Cæsura.* Cæsurarum ope fit ut versus numerosius fluat, et vox legentis commodâ suspensione fulciatur. In his Virgilii

Tityre, tu patulæ - recubans - sub tegmine fagi,
Silvestrem - tenui - musam - meditaris avenâ.

Cæsuræ cadunt in postremas syllabas vocum *patulæ*, *recubans*, *silvestrem*, *tenui* et *musam*.

Cæsura sæpissime concurrit cum arsi, ut in allatis versibus; nonnunquam tamen cadit in thesim. Illa *masculina*, hæc *feminina* poterit nuncupari. Posterioris hujus exempla habes in versibus sequentibus :

> Beatus ille - qui procul negotiis
> Paterna rura - bobus exercet suis.

Cæsuris secundum locum quem obtinent cognomina hæc addiderunt artis doctores : si post duos pedes integros secatur dictio, hoc est, si cæsura cadit in quintum semipedem (πέμπτον ἡμιμερὲς), appellatur *Penthemimeris*, v. g.

> Albus ut obscuro - detergit nubila cœlo.

At si incisum fit post pedem tertium, id est, in septimo semipede, vocatur *Hephthemimeris*, v. g.

> Cogitat ut speciosa dehinc - miracula promat.

Eâdem lege Cæsuram in tertio semipede appellabimus *Triemimerim*, in nono *Ennehemimerim*, et in undecimo *Hendechemimerim*.

IV. Versibus varia nomina addita sunt, et quidem

1° A materia, ut Heroïcis, Bucolicis, Elegiacis;

2° A gente, ubi maxime floruerunt, ut Ionicis, Creticis;

3° Ab inventoribus, ut Sapphicis, Alcaïcis;

4° A numero syllabarum, ut Hendecasyllabis;

5° A copulatione duorum versuum in unum, ut Dactylico-trochaïcis;

I.

6° A frequentiore pede, ut Iambicis, Anapæsticis;

7° Ab integritate depositionis, quam Græci κατάληξιν nuncupant, ut Acatalectis, Hypercatalectis;

8° A numero mensurarum, ut Tetrametris, Pentametris. Quilibet autem pes adstrictus unam efficit mensuram, exceptis versibus Anapæsticis, Iambicis et Trochaïcis, qui dipodiam ad unam mensuram postulant.

His præmissis, variorum versuum rationem explicabimus.

CAPUT II.

De versibus Rhythmi Dactylici.

§ 1. *De Heroïco-Hexametro.*

I. Heroïcum-Hexametrum sex constat pedibus, quorum quatuor priores sunt Dactyli vel Spondei, quintus Dactylus, et sextus Spondeus. Ultima tamen syllaba hujus, ut et aliorum versuum, brevis sit an longa nihil refert, siquidem ob pausam finalem, quamvis alio loco corripi debeat, producitur;

Schema – ◡ ◡ | – ◡ ◡ | – ◡ ◡ | – ◡ ◡ | – ◡ ◡ | – –
– – | – – | – – | – – | . . |

Exempla :

Illi in|ter se|se mag|nâ vi | brachia | tollunt.
Quadrupe|dante pu|trem soni|tu quatit | ungula | campum.

Carmen hoc Hexametrum dicitur, quod sex pedibus seu mensuris componitur, et Heroïcum, quod Heroum gestis celebrandis maxime idoneum est.

II. In condendo Hexametro antiqui poëtæ, Græci et Latini, nonnunquam ab illo schemate recesserunt; verum caveant tirones ne eandem sibi quoque licentiam concessam credant, nisi cum ars ipsa postulat artis, ut aiunt, violationem, id est, nisi cum majoris elegantiæ et numeri eruditioris gratiâ a communi regulâ receditur. Nonnunquam licet in primâ sede usurpare Anapæstum: ex. gr.

Vĕhĕmēns | et liqui|dus pu|roque si|millimus | amni. HOR.

Proceleusmaticus quandoque occupat sedem primam aut quintam, at tum, per levem contractionem duarum priorum syllabarum, pes ille eodem fere sono proferri debet quo Dactylus : ex. g.

Non Præ|toris e|rat dare | stultis | tĕnŭĭă | rerum. PERS.

Primi poëtæ frequenter in Catalexi, h. e. sextâ sede, usi sunt Iambo : ex. gr.

Livius ille vetus Graio cognomine sŭæ
Inserit Inoni versus, puto, tale docĭmēn. TER. MAURUS.

Ad significandam rem lentam, tristem, ac mole suâ quasi subsidentem, eleganter sæpe Spondeus Dactylum expellit quintâ sede; sed tunc, ne Rhythmus evadat durior, quartus saltem pes sit Dactylus. Ejusmodi versu spondaïco Virgilius aptissime indicavit fictum stuporem capti Sinonis :

Constitit, atque oculis Phrygia agmina cīrcūmspēxīt.

Non minus elegans est hic Hieronymi Vidæ, de morte Christi :

Supremamque auram, ponens caput, ēxpīrāvīt.

- Nullius autem veneris est hic Ennii,

Cives Romani tunc facti sunt Campani.

III. Ut Hexametrum in partes fere æquales dividatur, habeat incisum post pedem secundum, seu Cæsuram penthemimerim; ut:

Simia quam similis - turpissima bestia nobis.
Projicit ampullas - et sesquipedalia verba.

Deficiente penthemimeri adsint triemimeris et hephthemimeris; ut:

Posthabui - tamen illorum - mea seria ludo.
Descriptas - servare vices - operumque colores.

Durum est Hexametrum prædictis cæsuris carens; ut:

Romæ mœnia terruit impiger Hannibal armis.
Musæ, vestro vati doctos pangite versus.

Cæsuræ post quartum et quintum pedem (ennchemimeris et hendechemimeris) cum versum scindant in partes inæquales, impediunt Hexametrorum numerositatem, quæ jubet vocem in priori hemistichio sensim attolli et in posteriori paulatim cum ipso versu deponi. Injucunda ergo sunt hæc:

Unus homo nobis cunctando restituit - rem.
Et leves ocreas lento ducunt - argento.

Quapropter fugiendæ sunt depositiones per Ionicum a minore et per vocem monosyllabam, ambæ enim cogunt vocem contra Rhythmum finalem assurgere. At si duplici monosyllabâ versus terminatur, non peccat adversus numerum; ut:

Quod caret alternâ requie durabile non est.
Offenduntur enim quibus est equus et pater et res.

Interdum tamen Hexametrum elegantissime clauditur voce monosyllabâ, cui præcipua inest sententiæ vis; ut :

Parturiunt montes, nascetur ridiculus - mus.
Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi - bos.
— Insequitur cumulo præruptus aquæ - mons.
...............Ruit oceano - nox.

Quo pluribus cæsuris gaudent Hexametra, si excipias ennehemimerim et hendechemimerim, eo suavius fluunt, ex. gr.

Marte gravis - geminam - partu - dabit Ilia prolem.
Accipitrem - metuens - pennis - trepidantibus ales.

Ne tamen hoc ita dictum accipe, ut ubique triplicem illam cæsuram observes; nam eodem tenore perpetuo fluens carmen pariat fastidium necesse est.

Ea est cæsurarum vis, ut quandoque syllabam naturâ suâ brevem producant, ut in his :

Faunique, - satyrique et monticolæ Sylvani.
Pectoribus - inhians spirantia consulit exta.
Sub Jove mundus erat, - subiit - argentea - proles.

IV. Quoties vocem terminatam litterâ M, aut vocali, aut diphthongo, sequitur vocabulum incipiens litterâ H, vel vocali, vel diphthongo, fit *Elisio*, seu *Synalæpha*; i. e. e duabus syllabis nascitur una per contractionem prioris in posteriorem. Ex. gr.

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

Qui versus, ad conservandam Rhythmi integritatem, sic scandi debet :

Conticuer' omnes, intentiqu' ora tenebant.

At cum recitantur carmina, perspicuitas postulat ut omnes syllabæ pronuntientur. Interjectiones o, io, ah, vah, heu, proh, elidere non licet; ex. gr.

> O pater, o hominum divûmque æterna voluptas!

Elisio, more Græcorum, neglecta dicitur *Hiatus*. Syllabæ breves raro patiuntur hiatum. Hiatus efficit ut syllaba, alias longa, corripiatur, nisi cum cadit in cæsuram. Ex. gr.

> Ut vidi! ut pĕrĭī! ut me malus abstulit error!
> Stant et Jūnĭpĕrī et cāstănĕæ hirsutæ.
> Implerunt montes, flerunt Rhŏdŏpēĭæ arces.
> Victor apud rapidum Simoenta, sub Iliŏ alito.

Numerus evadit durior per elisiones vocum monosyllabarum, præsertim si istiusmodi voces eliduntur initio versuum. Ex. gr.:

> D(um) autem Trojanis olim fortuna favebat.

Item per crebriores elisiones, ut in hoc:

> O curv(æ) in terris anim(æ) et cœlesti(um) inanes!

Nonnullæ sunt elisiones, quæ non modo non impediunt numerositatem carminis, sed contra illius splendorem, vim et venustatem augent. Quid ex. gr. mollius hisce?

> Principi(o) arboribus vari(a) est natura creandis.
> Ill(e) operum custos, ill(um) admirantur et omnes.
> Flumin(a) amem, sylvasqu(e) inglorius. ——

Quid asperius sequentibus?

> Et magni membror(um) artus, magn(a) ossa, lacertique.
> Monstr(um) horrend(um), inform(e), ingens, cui lumen ademptum.

Quid flebilius his?

> Ut reg(em) æquævum crudeli vulnere vidi
> Vit(am) exhalantem.
> Amiss(um) Anchisen flebant, tristesque profundum
> Pont(um) aspectabant.

Quandoque carmen hexametrum habet syllabam redundantem in catalexi, sed tum versus immediate subsequens incipiat littera vocali, diphthongo, vel H, ut per elisionem uterque versus jungatur. Ejusmodi versus appellatur *hypermeter* sive *concatenatus*. Ex. gr.:

> Quem non incusav(i) amens hominumque deorumqu(e)
> Aut quid in eversâ vidi crudelius urbe.

V. Miscendorum pedum ac cæsurarum plures sunt modi, eosque tentare oportet omnes, ut tædio et satietati occurras. Hac in re neminem comparare ausim cum Virgilio. Tanta enim est Virgilianorum versuum varietas, tamque mira convenientia Rhythmi rerumque ipsarum quas celebrat naturæ, ut vix quicquam cogitari possit perfectius. Quapropter non immerito Cycnus Mantuanus, et Romanorum poëtarum princeps nuncupatus est.

Quamquam de ratione miscendorum pedum certa et invariabilis regula statui non possit, constat tamen spondeos inprimis idoneos esse descriptionibus rerum molestarum, gravium, tristium. Ex. gr.:

> Illi inter sese magnâ vi brachia tollunt.
> Involvens umbrâ magnâ cœlumque polumque.
> Et caligantem nigrâ formidine lucum.

Rebus lætis, concitatis, properantibus multo aptiores esse dactylos nemo non videt. Ex. gr.:

Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus.
Linquimus Ortygiæ portus, pelagoque volamus aperto,
Ite domum saturæ, venit hesperus, ite capellæ.

(Vide quæ dicturi sumus infra, cap. 1, p. 2.)

VI. Fugiendi sunt versus *Leonini*, qui in medio et fine similem sonum edunt. Repercussio ista semipriscis adeo probata fuit, ut ineptum putaretur quidquid eâ careret. Inventum hoc putatur monachi cujusdam Parisiensis. Ex. gr. :

Post cœnam *stabis*, vel passus mille mea me*abis*.
Contra vim *mortis* non est medicamen in *hortis*.

Si quando versus Leoninus excidit poëtis aurei ævi, id incuriâ factum, et excusandum potius quam laudandum arbitror. Isthæc sonorum repercussio putida est imitatio versificationis linguarum borealium.

VII. Quilibet facile intelliget vocabulum non posse discerpi, et aliis interpositis quasi obtruncari, nisi sit vocabulum compositum. Quis ex. gr. absurdam tmesim hanc sine risu poterit legere ?

Transegit corpus, *cere-* saxo comminuit *brum*.

VIII. Hexametrum græcum iisdem fere legibus subjectum est quibus latinum. Majori tamen gaudet libertate. *a*. Cæsurarum ; uti patet ex sequentibus exemplis, non multo labore conquisitis, sed aperto primo libro Odysseæ, statim nobis occurrentibus.

Ἄνδρα μοι ἔννεπε, Μοῦσα, πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη. I. *Od*. 1.
Αὐτῶν γὰρ σφετέρῃσιν ἀτασθαλίῃσιν ὄλοντο· *Ib*. 7.
Ἤσθιον· αὐτὰρ ὁ τοῖσιν ἀφείλετο νόστιμον ἦμαρ. *Ib*. 9.

Νύμφη πότνι' ἔρυκε Καλυψὼ, δῖα θεάων. *Ib.* 14.
Ἐν σπέσσι γλαφυροῖσι, λιλαιομένη πόσιν εἶναι. *Ib.* 15.
Ἀλλ' ὅτε δὴ ἔτος ἦλθε, περιπλομένων ἐνιαυτῶν. *Ib.* 16.
τί νύ οἱ τόσον ὠδύσαο, Ζεῦ; *Ib.* 62.
Μῆλ' ἀδινὰ σφάζουσι, καὶ εἰλίποδας ἕλικας βοῦς. *Ib.* 92.

b. Elisionum, quæ Græcis multo rariores sunt quam Latinis; ut videre est in his exemplis ex eodem primo libro Odysseæ petitis :

Πολλὰ δ'ὅγ' ἐν πόντῳ πάθεν ἄλγεα ὃν κατὰ θυμὸν. 4.
Ἀλλ' οὐδ' ὥς ἑτάρους ἐῤῥύσατο, ἱέμενος περ. 6.
Καὶ λίην κεῖνός γε ἐοικότι κεῖται ὀλέθρῳ. 46.
Πάσης βένθεα οἶδεν, ἔχει δέ τε κίονας αὐτὸς. 53.
Ἐντρέπεται φίλον ἦτορ, Ὀλύμπιε, οὔ νύ Ὀδυσσεὺς. 57.

c. Depositionum, quæ persæpe fiunt per voces quinque syllabarum, ex. gr.

Νήπιοι, οἳ κατὰ βοῦς ὑπερίονος Ἠελίοιο. 8.
Ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται. 32.

Vel per voces tetrasyllabas, modo Ionicos a minori, modo Dispondeos, ex. gr.

Νόσφι Ποσειδάωνος ὁ δ'ἀσπερχὲς μενέαινεν. 20.
Οἱ μὲν δυσομένου ὑπερίονος, οἱ δ'ἀνιόντος. 24.
Ἀντιόων ταύρων τε καὶ ἀρνειῶν ἑκατόμβης. 25.
Μνήσατο γὰρ κατὰ θυμὸν αμύμονος Αἰγίσθοιο. 29.
Ὥς καὶ νῦν Αἴγισθος ὑπέρμορον Ἀτρείδαο
Γῆμ' ἄλοχον μνηςτὴν, τὸν δ' ἔκτανε νοστήσαντα. 35, 36.

d. Syllabæ breves frequentissime producuntur per ictum, id est, per cæsuram; quod rarius permittitur in Hexametris latinis, ex. gr.

Ἀρνύμενος ἥν τε ψυχὴν καὶ νόστον ἑταίρων. 5.
Μήτ' αυτὸν κτείνειν, μήτε μνάασθαι ἄκοιτιν. 39.

e. Sæpius etiam vocalis ante vocalem per συνίζησιν in unicam syllabam contrahuntur, ex. gr.

Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι. 33.

Hæc exempla sufficiant ad indicandum discrimen latini et græci Hexametri : duplo plura exempla ex eodem primo libro Odysseæ potuissemus afferre, nisi voluminis hujus brevitas obstaret.

§ 2. *De Pentametro.*

I. Pentametrum constat quinque pedibus, seu mensuris, unde ipsius nomen (πέντε et μέτρον). Duo priores possunt esse Dactyli vel Spondei, tertiam sedem occupat semipes, hoc est, una syllaba longa; quartus et quintus sint necessario Dactyli, sextam sedem tenet semipes, qui cum semipede sedis tertiæ efficit pedem integrum.

Schema :

— ◡ ◡	— ◡ ◡			—
— —	— —	— ‖ — ◡ ◡	— ◡ ◡	◡

Exempla :

Inter|dum lacry|mæ ‖ pondera | vocis ha|bent.
Gratius | ex ip|so ‖ fonte bi|buntur a|quæ.
Οὐ γὰρ | δὴν θνη|τοῖς ‖ ὕβριος | ἔργα πέ|λει.
Δῶρα δ' ἄ|φυκτα θε|ῶν ‖ γίγνεται | ἀθανά|των.

II. Post secundum pedem requiritur cæsura, Pentametrum secans in duo hemistichia ejusdem longitudinis. Explodendus igitur est hic versus Catulli :

Troja virûm et virtutum omnium acerba cinis.

(Versus iste nimiis quoque elisionibus impeditus est.)

Ob eamdem rationem non licet adhibere vocem monosyllabam in tertiâ sede. Ingrate ergo sonant sequentia.

O Dî, reddite mî pro pietate meâ.

Στηριχθεὶς ἐπὶ γῆς, χεῖλος ὀδοῦσι δακών.

III. Ingrate etiam deponitur posterius hemistichium per vocem monosyllabam, ut :

Omnis an in magnos culpa deos scelus est?

Κοὐκ ἄν τις λύσαι ἤπια φάρμακα θεούς.

Licet tamen duplici monosyllabo, aut unico monosyllabo per polysyllabum eliso illud deponere, ex. gr.

Prœmia si studio consequar ista sat est.

Nomina mutârunt, hic deus, illa dea est.

Μή ποτ' ἐπαινήσῃς, πρὶν ἂν εἰδῇς ἄνδρα σαφηνῶς,
Ὀργὴν, καὶ ῥυθμὸν, καὶ τρόπον ὅστις ἂν ᾖ.

Pessima omnium depositionum Pentametri latini est vocabulum trium syllabarum, ut :

Sit licet et ferro durior et Chalybe.

Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

Dixi eam esse pessimam depositionem *Pentametri latini*, quia permulta Pentametra græca inveniuntur per vocem trisyllabam deposita.

Jucundissimæ quidem sunt depositiones dissyllabæ; attamen salvâ numerositate usurpari quoque possunt depositiones quatuor, et quandoque quinque syllabarum. Valent itaque versus sequentes :

Quod proavus, quod avus, quod pater excoluit.

Quam propere legimus, tam cito negligimus.

Κοιμᾶσθαι χώραν πέμψαν ἐπ' εὐσεβέων.

Τό κύβος ἀγγέλλει βένθος ἐχεφροσύνης.

IV. Vitentur Pentametra leonina et tmeses absurdæ. Unde reprehendenda sunt hæc :

Quærebant *flavos* per nemus omne *favos*.
Deficiente *pecu* - deficit omne - *niâ*.

V. In carminibus elegiacis Pentametrum misceri solet cum Hexametro, ut hujus gravitatem heroïcam suâ alacritate temperet. Hexametrum cum Pentametro appellatur Distichon elegiacum.

§ 3. *De versu Archilochio.*

Versus Archilochius, quem invenisse fertur Archilochus, poëta Parius et, teste Cicerone, Romuli coævus, componitur Dactylo et Choriambo, hoc est, posteriori hemistichio Pentametri.

SCHEMA :

— ᵕ ᵕ | — ᵕ ᵕ | —

Exempla :

Nōs ŭbĭ | dēcĭdĭ|mūs,
Pulvis et | umbra su|mus.
Ἠ κακὸς | ἐξ ἀγα|θοῦ.
Π λοῦτος ἔ|μιξε γέ|νος.

Ob nimiam hujus metri brevitatem nimiamque velocitatem, interponi debet aliis metris longioribus et sedatioribus, ut Hexametro heroïco et Iambico quaternario.

§ 4. *De versu Adonio.*

Versus Adonius, brevior quam Archilochius, constat duobus ultimis pedibus Hexametri, scilicet Dactylo et Spondeo.

SCHEMA :

– ◡ ◡ | – –

Exempla :

Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit:
Nubila mens est,
Hæc ubi regnant.
Ὄλβιος οὐδεὶς.
Δάκρυα θνητοῖς
Μοῖρα δέδωκε.

Versus Adonii subjungi solent tribus versibus Sapphicis, ad claudendam stropham Sapphicam.

§ 5. *De versu Pherecratio.*

Versus Pherecratius, cujus inventor fuit Pherecrates, poëta comicus Atheniensis et Alexandri M. miles, efficitur tribus posterioribus mensuris Hexametri, sive, Spondeo-Dactylo-Spondeo.

SCHEMA :

– – | – ◡ ◡ | – –

Exempla :

Musæ | florea | vincla
Capto nuper amori
Injecêre corollas,
Vinctum dantque decori.
Αἱ Μοῦσαι τὸν Ἔρωτα
Δήσασαι στεφάνοισι,
Τῷ κάλλει παρέδωκαν.

Catullus primâ sede etiam usus est Trochæo et Iambo. Idem è Glyconico et Pherecratio effecit versum Asynartetum (1), quem vocant *Stesichorium.* (Vide C. VII, § 1.)

Pherecratius fere semper interponitur aliis metris, præsertim Asclepiadeo minori et Glyconico.

§ 6. *De Heroïco Tetrametro.*

Heroïcus Tetrameter, s. Phaliscus, componitur quatuor postremis pedibus Hexametri, juxta hoc

SCHEMA :

– ∪ ∪ | – ∪ ∪ | – ∪ ∪ | – –
– – | – – |

Exempla :

O for|tes pe|joraque | passi,
Cras ingens iterabimus æquor.
Παῖδες ἐνὶ μεγάροις γεγάασιν.
Πόλλ' ἀτέλεστα νοοῦμεθα πάντες.

Horatius, Od. 28. l. 1, semel pro Dactylo tertiæ sedis usus est Spondeo :

Menso|rem cohi|bent Ar|chita.

§ 7. *De Tetrametro Bucolico.*

Tetrameter Bucolicus, s. Dactylicus Alcmanius, constat ex quatuor pedibus, quorum tres priores Dactyli sunt vel Spondeï, quartus autem Dactylus esse debet, vel, quia indifferens est omnium versuum postrema syllaba, amphimacer. Vocatur *Alcmanius* ab Alc-

(1) Sic Grammatici nuncupant versus è duobus metris compositos.

mane, poëtâ Lacedæmonio, et *Bucolicus*, quod in carminibus bucolicis interdum usurpatur loco Hexametri heroïci.

SCHEMA :

— ◡ ◡ | — ◡ ◡ | — ◡ ◡ |
— — | — — | — — | — ◡ ⏓

Exempla :

Anceps | forma bo|num mor|talibus,
Exigui donum breve temporis,
Ut velox celeri pede laberis.
Μῶσ' ἄγε Καλλιόπα, θύγαθηρ Διὸς,
Ἀρχ' ἐρατων ἐπεων, ἐπὶ δ' ἵμερον
Ὕμνον καὶ χαρίεντα τίθει χορὸν.

Passim cæsuram habet post secundam sedem.

Seneca interposuit illum Hexametris, Sapphicis et Choriambicis. Usurpari quoque potest nullis aliis mixtus.

Horatius ex Alcmanio Dactylico et Ithyphallico conjunctis composuit *Dactilico-Trochaïcum*, cujus quatuor priores pedes ad Rhythmum Dactylicum, et tres posteriores ad Rhythmum Trochaïcum pertinent.

SCHEMA :

— ◡ ◡ | — ◡ ◡ | — ◡ ◡ |
— — | — — | — — | — ◡ ◡ ‖ — ◡ | — ◡ | — ⏓

Exemplum :

Vitæ | summa bre|vis spem | nos vetat ‖ incho|are | longam.

Ubi desinit Rhythmus Dactylicus, sit cæsura feminina, seu pes quintus incipiat integro vocabulo. Ejusmodi cæsura separare debet duplex metrum omnium versuum Asynartetorum.

§ 8. *De Alcaïco-Dactylico.*

Dactylico-Alcaïcus, cujus auctor creditur celeberrimus Alcæus, poëta lyricus magnificus, vehemens, et Homero plurimum similis, constat duobus Dactylis totidemque Trochæïs, juxta hoc

SCHEMA :

— ◡ ◡ | — ◡ ◡ | — ◡ | — ◡̄

Exempla :

Post equi|tem sedet | atra | cura,
Per medias rapit ira cædes.
Εὐθέα χρὴ τὸν ἑταῖρον εἶναι.
Πᾶσι δίκαια νέμει Κρονίων.

In Strophâ Alcaïcâ sequitur duos Alcaïcos Hendecasyllabos et Iambicum quaternarium redundantem.

Additamentum.

Aliæ reperiuntur adhuc formæ Rhythmi Dactylici; at, quia multo rariores sunt quam superioribus articulis explicatæ, sufficiat illas paucis indicasse :

1° Hymenæus, ut :

Ālmĕ Tă|lāssĭ|ō.

2° Dactylicus Alcmanius mutilus, ut :

Mūnĕră | lætĭtĭ|āmquĕ Dĕ|ī.

3° Alcmanius Hypercatalectus, ut :

Heū quām | præcĭpĭ|tī || mērsă prŏ|fūndō.

4° Stesichorius Pentameter, ut :

Stānt īm|mōtă sŭ|ō Căpĭ|tōlĭă | sāxō.

5° Cyrillius Pentameter Hypercatalectus, ut :

Vērĕ rŭ|bēt nŏvă | pūrpŭrĕ|īs rŏsă | cīnctă cŏ|mis.

6° Stesichorius Heptameter, ut :

Pērsŏnăt | hōrrĭfĭ|cūm tŏnĭ|trū sŭpĕr | ārdŭă | mœnĭă | Rōmæ.

7° Ibicius Heptameter Hypercatalectus, ut :

Nūllŭs hŏ|nōr trĕpĭ|dīs gĕlĭ|dīsquĕ : pă|tēt pŏlŭs | ācrĭbūs | īngĕnĭ|īs.

CAPUT III.

De versibus Rhythmi Anapæstici.

Proxime ad Rhythmum Dactylicum accedit Rhythmus Anapæsticus, accommodatus vividis animi motibus. Versus Anapæstici dividuntur per Dipodias, id est, per mensuras duorum pedum. Itaque Monometra duobus, Dimetra quatuor, Trimetra sex, et Tetrametra octo pedibus componuntur. Quibus una syllaba deest Catalecta; quibus pes integer, Brachycatalecta; in quibus autem una syllaba vel etiam pes integer redundat, Hypercatalecta nuncupantur. Versus Anapæstici loco Anapæstorum recipiunt quoque Spondeos et Dactylos, qui propterea pedes affines nominantur. Poëtæ dramatici, quum græci tum latini, præter solum Terentium, frequentissime utuntur versibus Anapæsticis, præsertim in Choris, qui sunt pars lyrica tragœdiarum ac comœdiarum.

§ 1. *De Anapæsticis monometris.*

I. Anapæsticorum brevissimum est *Monometrum Acatalectum*, duobus constans pedibus.

Schéma : — — | — —
— ⏑⏑ | — ⏑⏑
⏑⏑ — | ⏑⏑ —

Exempla :

Lĕvĭŏ|rĕ mănū
Cōncŭtĭt|ārmā;
Stērnĭt ēt | ōmnĭă,
Vāstāns | āgrōs.
Βῐŏς ἐσ|τῐ σκῐᾰ.
'Ἀσφᾰλἐς | οὐδἐν.
Πᾰντᾰ κῠ|λῐνδἐτᾰι
Ἐν θνη|τοισι.

Monometra Acatalecta semper interponuntur aliis Anapæsticis longioribus.

II. Mixta eodem modo reperiuntur etiam *Monometra Hypercatalectica*, quæ binis pedibus adjiciunt adhuc unam syllabam. Ex. gr.

Rŏsă vē|rĕ rŭbēs|cīt.
Pĭĕtās | măle hăbē|tūr.
Hūmā|nă pĕrī|būnt.
Nīl mănĕt | ūsqŭe vĭ|gēns.
Ζεὺς πᾰν|τᾰ κῠβἐρ|νᾰ
Μἐγᾰλην | κᾰτᾰ γᾰι|ᾰν.
Ἑις μἐγᾰς | ἐστῐ θἐ|ὸς,
Καὶ μὸνὸς | ἐστῐ σὸ|φος.

§ 2. *De Anapæsticis Dimetris.*

1. Anapæsticus *Dimeter Brachycatalecticus*, seu *Ternarius*, tres complectitur pedes. Ex. gr.

Domat om|nia sors | rigida.
O lux | pura et | fulgida,
Æquis|que ab humo | distans
Inter|vallis | æther!

Ἀρετὰ | πολύμοχ|θε βρότοις,
Πρεσβίσ|τα θέων | μακάρων!
Ω φάος | ἁγνὸν, | καὶ γῆς
'Ισόμοι|ρος ἀὴρ | παντῃ!

II. *Dimeter Catalectus*, seu *Quaternarius Mutilus*, conficitur tribus pedibus et semipede. Ex. gr.

Felix | nimium | prior æ|tas
Conten|ta fide|libus ar|vis.
Ἀλλ' οὔ|τοι τόν | γ' ἐξ αΐδα
Ἀνστά|σεις βοά|ωσα φι|λὸν.

III. *Dimeter Acatalectus*, sive *Quaternarius*, qui præ reliquis Anapæsticis aptus est choro dramatico, constat quatuor pedibus, et cæsuram amat post pedem secundum. Raro admittit dactylum in secundâ aut quartâ sede. Ex. gr.

Audax | nimium || qui freta | primus
Rate tam | fragili || perfida | rupit,
Terras|que suas || post ter|ga videns,
Animam | levibus || credidit | auris.
Ὁ σοφὸς | πάντως || ἄρεταν | μελετᾷ.
Ἐμὲ δεῖ | κελαδεῖν || ἐμὲ δεῖ | παταγεῖν.
Ω χθόνι' | Ἑρμῆ, || καὶ πότ|νι' Ἀρὰ,
Τους ἀδί|κως θνήσ|κοντας ὁ|ρᾶτε!

IV. *Dimeter Hypercatalectus* augetur unâ syllabâ. Ex. gr.

Rŏsă mū|rĭcĕ fūl|gĭdă, rō|re mădēs|cĭt.
Ἀετός | Διὸς αἰ|θερίου | φίλε χαίρε.

Rari omnino sunt Trimetri; quare nihil dicemus de iis. Si quis autem Anapæsticos Trimetros condere cupit, observet leges Dimetrorum Acatalectorum, quos per

additionem efficere poterit quinarios, senarios et septenarios.

§ 3. *De Anapæsticis Tetrametris.*

I. *Tetrametri Catalecti* componuntur septem pedibus integris et semipede. Ex. gr.

Mare fluc|tibus in|fremit, un|da aquilo|nibus ic|ta remu|git et
hor|ret.

Καὶ νῦν | ἆ πονεῖς | δίχα κη|δεμόνων, | οὐκ ἔσ|τιν ὅπως | οὐ
θεῶν | μελέτη|σει.

II. *Tetrametri Acatalecti* continent octo pedes integros. Ex. gr.

Nescio, | nil vide|o, cœ|cus e(o), at|qu(e) equidem | quŏ e(am),
aut | ubi s(im), aut | qui sim,
Nequeo | c(um) animo | cert(um) in|vesti|gar(e): ob|secro vos |
ego m(i) au|xilio
Sitis, etc. Plautus.

Posterior hæc species Tetrametrorum multo rarius occurrit priore illâ; arbitror id fieri ob nimiam ejus longitudinem.

CAPUT IV.

De versibus Rhythmi Iambici.

Iambici versus pariter dividuntur per Dipodias. Iambica vero Dipodia vel pura est vel libera. *Pura* complectitur duos Iambos; *libera* in locum Iamborum recipit quoque pedes affines, nimirum Tribrachym, Spondeum, Anapæstum et Dactylum; at nunquam patitur Trochæum. Prior Dipodiæ pars resolvi potest in Tribraches, Spondeos, Dactylos et Anapæstos, sed posterior pars soli Tribrachy concedit locum. Itaque dipodia

Iambica ˘ ¯ | ˘ ¯ æquivalet huic { ¯ ¯, ˘˘˘, ˘˘¯, ¯˘˘ } | ˘˘˘. Attamen uni Iambo permittitur ultima sedes.

Quo plures Iambi dominantur in versu Iambico, eo suavius fluit. Hanc ob causam Iambici Horatiani omnium sunt dulcissimi.

Omnis fere versificatio Belgica Iambica est, et quidem pura.

§ 1. *De Iambicis monometris.*

I. *Monometer Acatalectus,* v. g. ĭō, ĭō!... ēheū mĭhi!... sat frequenter occurrit in choris dramaticorum, sed aliis longioribus semper interpositus, ut et.

II. *Monometer Hypercatalectus,* semipede major. V. g.

Io! | Trium|phe!
Aufu|git hos|tis!
Θεὸς | μέγισ|τος.
Τὸ φίλ|τατον | φῶς.

Recentiores poëtæ solis monometris nonnunquam tractaverunt lepida argumenta.

§ 2. *De Iambicis dimetris.*

I. *Dimeter Brachycatalectus,* seu *Ternarius,* constat tribus pedibus. Ex. gr.

Collés | per e|ditos
Vallesque per | cavas,
Vaga|tur æs|tuans.
Ω Ζεῦ, | θεὼν | πάτερ,
Ἀνδρὼν | τ'ἄναξ, | ἐμοί
Ἀρω|γὸς ἔρ|χεο.

II. *Dimeter Catalectus* vix differt ab *Anacreontico*. Vide § 5.

III. *Dimeter Acatalectus*, s. *Quaternarius*, duplici constat dipodiâ. Ex. gr.

O quan|do lu|cescet | tuus
Qui nes|cit oc|casum | dies!
O quan|do sanc|ta se | dabit,
Quæ nes|cit hos|tem pa|tria!
Φυγὴ | κακοῖ|σι καὶ | φόβος.
Πάντων | δὲ Ζεὺς | ἔχει | τέλος.
Οὐ μὴ | κρατῶν | γλώσσης | σοφός.
Σιγᾷν | ἄμει|νον ἢ λαλεῖν.

Perplurimi Hymni hocce metro componuntur.

IV. *Dimeter Hypercatalectus* unam addit syllabam. Ex. gr.

Necessitas. Sorti|tur in|signes | et i|mos.
Dî mul|ta ne|glecti | dede|runt.
Voces | ami|corum | mede|læ.
Ω τέγ|γε, τέγ|γε πνεύ|μον οἴ|νῳ.
Οὐ γὰρ | θανεῖν | ἐχθιό|τον ἔσ|τι.

Communiter in odis Alcaïcis tertius est versus cujuslibet strophæ.

§ 3. *De Iambicis trimetris.*

I. Iambicus *Trimeter Catalectus* unam ad sex pedes syllabam desiderat. Ex. gr.

(*Deus*) Voca|tus at|que non | voca|tus au|dit.
Ἐγὼ | μὲν οὐκ | ἐπίσ|ταμαι | θυμοῦσ|θαι.

Apud Horatium cæsuram habet post primam Dipodiam. Raro admittit pedes affines, præter Spondæum in priori parte Dipodiæ 1ª et 2ª.

II. *Trimeter Acatalectus*, sive *Senarius*, omnium

Iambicorum tam Græcis quam Latinis longe usitatissimus, constat sex pedibus. Non quidem necessaria est cæsura post primam Dipodiam, at multum suavitatis addit Rhythmo. Ex. gr.

Bea|tus il|le qui | procul | nego|tiis
Pater|na ru|ra bo|bus ex|ercet | suis.
Quod non | potest | vult pos|se qui | nimium | potest.
Alium | sile|re quod | voles, | primus | sile.
Solent | supre|ma face|re se|curos | mala.
Τό τ' αἰσ|χρὸν ἐχ|θρὸν, καὶ | τὸ χρησ|τὸν εὐ|κλέες.
Ὡς πάν|τα δει|να κἄ|πικιν|δύνως | βροτοῖς
Κεῖται· | παθεῖν | μὲν- εὖ, | παθεῖν|δὲ θά|τερα.
Χρὴ δ' ἐκ|τὸς ὄν|τα- πη|μάτων, | τὰ δείν' | ὁρᾷν.
Χ' ὥταν | τὶς εὖ | ζῇ, τη|νικαῦ|τα τὸν | βίον
Σκοπεῖν | μάλισ|τα, μὴ | διαφ|θαρεὶς | λάθῃ.

Ex Iambico senario natus est noster *Alexandrinus*.

§ 4. *De Iambicis tetrametris.*

I. *Tetrameter Brachycatalectus*, s. *Septenarius*, septem habet pedes. V. g.

Pauci | sciunt | quid ma|ne, quid | vesper | vehat | sibi.
Γέλως | πονοῦν|τι φάρ|μακον | μέγισ|τον ἐν | βίῳ.

II. *Tetrameter Catalectus*, semipede major est. V. g.

Et in|solen|ter æs|tues, | velut | minu|ta ma|gno
Depren|sa na|vis in | mari | vesa|nien|te ven|to.
Εἴ μοὶ | γένοι|το πάρ|θενος | καλή | τε καὶ | τέρει|να.

III. *Tetrameter Acatalectus*, Latinis *Quadratus* et *Octonarius*, constat quatuor Dipodiis plenis. V. g.

Conso|brinus | noster? | sane Her|cle, homo | volup|tati ob|sequens
Fuit | dum vix|it: et | qui sic | sunt haud | multum hæ|redem | juvant.
Αἶξαι | με κω|μάζον|τα, δέξ|αι, λίσ|σομαι, | σε λίσ|σομαι.

Additamentum.

De Rhythmo Iambico hæc præcipit Horatius in Epistolâ ad Pisones.

Hunc (*Iambum*) socci cepere pedem, grandesque Cothurni,
Alternis aptum sermonibus, et populares
Vincentem strepitus, et natum rebus agendis.
Pes citus. Unde etiam Trimetris accrescere jussit
Nomen Iambeïs, cum senos redderet ictus.
Primus ad extremum similis sibi. Non ita pridem,
Tardior ut paulo graviorque veniret ad aures,
Spondæos stabiles in jura paterna recepit,
Commodus ac patiens; non ut de sede secundâ
Cederet aut quartâ socialiter. Hic (*Spondæus*) et in Accî
Nobilibus Trimetris apparet rarus et Ennî.
In scenam missus magno cum pondere versus
Aut operæ celeris nimium curâque carentis,
Aut ignoratæ premit artis crimine turpi.
Non quivis videt immodulata poëmata judex,
Et data Romanis venia est indigna poëtis.
Idcircone vager, scribamque licenter?
.... Vos exemplaria græca
Nocturnâ versate manu, versate diurnâ.
Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Musa loqui, præter laudem nullius avaris.

§ 5. *De versu Anacreontico.*

Versus Anacreonticus, quem primus Anacreon emisit auctor, est Iambicus Dimeter catalectus. Sedes prima socialiter recipit cum Iambo Spondæum et Anapæstum.

SCHEMA : { ⏑ – / ⏑⏑– / – – } | ⏑ – | ⏑ – | –

Exempla :

Ἔρως | ποτ' ἐν | ῥόδοι|σι	Inter rosas Cupido
Κοιμω|μένην | μέλιτ|ταν	Apiculam jacentem
Οὐκ εἶ|δεν, ἀλλ' | ἐτρώ|θη.	Non vidit, estque punctus.
Τον δάκ|τυλον | δὲ δηχ|θεὶς	Manumque sauciatus
Τῆς χει|ρὸς, ὠ|λόλυ|ξε.	Mox ejulare cœpit.
Δραμὼν | δὲ καὶ | πετασ|θεὶς	Et cursitans volansque
Πρὸς τὴν | καλὴν | Κυθή|ρην :	Ad candidam Cytherem:
Ὄλω|λα, μᾶ|τερ, εἶ|πεν,	Heu! occidi, occidi! inquit,
Ὄλω|λα, κἀ|ποθνήσ|κω.	Vitamque, mater, efflo.
Ὄφις | μ' ἔτυ|ψε μι|κρὸς,	En me minuta serpens,
Πτερω|τὸς, ὃν | καλοῦ|σι	Apem vocant coloni,
Μέλιτ|ταν οἱ | Γεωρ|γοί.	Pennata vulneravit.
Ἡ δ' εἶ|πεν : εἰ | τὸ κέν|τρον	Tunc illa : Apis si acumen,
Πονεῖ | τὸ τῆς | μελίτ|της,	Tantum facit dolorem,
Πόσον, δοκεῖς, | πονοῦ|σιν,	Quantum dolere credis,
Ἔρως, | ὅσους | σὺ βαλ|λεις.	Quos tu feris, Cupido! Anac.

Metrum hoc imprimis accommodatum est joco et risui. Omnes fere Odæ Anacreonticæ Cupidinem celebrant et Bacchum.

§ 6. *De versu Galliambico.*

Versus *Galliambicus,* quo in tripudiis solemnibus utebantur Galli, sacerdotes Cybeles, constat ex duobus Anacreonticis, altero pleno, altero mutilo. Cæsuram habet post tertium pedem, juxta hoc

Schema : ⏑⏑ – | ⏑ – | ⏑ – | – | ⏑⏑ – | ⏑⏑⏑ | ⏑ –
– – (sub pede primo), – – (sub pede quinto)

Exempla :


Super al\|ta vec\|tus A\|tys \|\| celeri \| rate ma\|ria,
Phrygium \| nemus \| citato \|\| cupide \| pede te\|tigit.

Metrum hoc nihil habet vigoris, quapropter egregie prodit effeminatam mollitiem sacerdotum Cybeles.

§ 7. *De versu Choliambo, s. Scazonte.*

Versus *Choliambus,* seu *Scazon,* differt a Senario, quod in ultimâ sede, contra naturam Rhythmi Iambici Spondeum habet. Quidam Hipponactis, alii Ananiæ inventum credunt.

SCHEMA :



Exempla :

O quid | solu|tis est | bea|tius | curis,
Cum mens | onus | repo|nit, ac | pere|grino
Labo|re fes|si ve|nimus | larem ad | nostrum.
Ὁ μου|σοποι|ος ἐν|τάθ' Ἱπ|πώναξ | κεῖται·
Εἰ μὲν | πονη|ρὸς, μὴ | ποτ' ἔρ|χευ τῷ | τάφῳ.

Inter Latinos metrum hoc sæpissime usurpavit Catullus.

CAPUT V.

De versibus Rhythmi Trochaïci.

Versuum quoque Trochaïcorum dimensio fit per Dipodias. Prior Dipodiæ pars nonnunquam mutatur in Tribrachym; posterior transit sæpe in Spondæum, rarius in Anapæstum, Dactylum aut Tribrachym. Iambus semper excluditur e Rhythmo Trochaïco, haud secus quam Trochæus ex Iambico. Ultima sedes debetur soli Trochæo.

Dipodia Troch. pura –⏑ | –⏑ æquivalet huic liberæ ⏑⏑⏑ | ⏑⏑⏑
⏑–⏑ =
–⏑⏑

Versus Trochaïci multo rariores sunt Iambicis. Sunt autem Monometri, Dimetri, Trimetri et Tetrametri.

§ 1. *De Trochaïcis monometris.*

Minimus Trochaïcorum est *Pancratius*, Monometer Hyperçatalectus.

Exempla :

Cūnctă | cōrrŭ|ūnt.
Ūsquĕ | nīl mă|nēt.
Heū, dŏ|lōr mĭ|hī !
Παντᾰ | σφαλλε|ται.
Τω γε|νει βρο|των
Οὐδεν | ἀσφᾰ|λες.

Interponatur aliis metris.

§ 2. *De Trochaïcis dimetris.*

Ithyphallicus est Dimeter Brachycatalecticus purus ; id est, tribus constans Trochæis. Ex. gr.

Hūc ă|dēs Ly|æĕ!
Sit com|es Cy|there!
Θύμ' ἀ|μηχά|νοισι
Κήδε|σι κυ|κώθεις !

Ex Ithyphallico cum Alcmanio Dactylico effinxit Horatius Dactylico-Trochaïcum. Vide supra, cap. 2, § 7.

II. *Choraïcus* est quoque Dimeter Brachycatal., sed constans Dactylo et duobus Trochæïs. Ex. gr.

Līvĭdă | gēstăt | ārmĭs;
Brachia | sæpe | disco
Nobilis, | expe|dito.
Ἀσφαλέ|ως κυ|βερνᾷς.
Πράγματα | σοι πα|ρέξω.

Uniri solet cum sequente. Falso a quibusdam adnumeratur Choriambicis.

III. *Choraïcus liber,* Ternarius redundans, continet Trochæum, Spondæum, Dactylum et semipedem. Ex. gr.

Cur ti|met fla|vum Tybe|rim.
Τὴν δ' ἐ|μοῦ τύ|χην τρομέ|ω.

Unitus cum præcedente efficit *Sapphicum majorem,* quo metro semel usus est Horatius. Ex. gr.

Ode|rit cam|pum pati|ens || pulveris | atque | solis.

Metrum hoc non videtur habere multum suavitatis.

IV. *Euripidius* est pariter Ternarius redundans, sed efficitur tribus Trochæis et semipede. Pes secundus transit interdum in Spondæum. Ex. gr.

Fors dat | et toll|lit da|tum.
Non e|bur ne|que aure|um
Est me|â in do|mo la|queâr.
Ξῡν τῠ|χῃ̄ πᾰν|τῶν κρᾰ|τεῖς.
Ὡς ἀ|πολλύ|μαι τά|λας.

Horatius interposuit illum Iambicis senariis. Seneca non mixtum adhibuit, et in secundâ sede pro Trochæo aut Spondæo non dubitavit uti Dactylo. Ex. gr.

Fata | sí liceat mi|hi
Finger(e) | arbitri|o meo :

Tempe|rem Zephy|ro le|vi
Vela, | ne pres|sæ ge|mant
Spiri|t(u) anten|næ me|æ.

V. *Dimeter Acatalectus*, sive *Quaternarius*, complectitur duas Dipodias. Ex. gr.

Inse|quendo | quem la|cessis
Senti|es mox | inse|quentem.
Οἱ κα|λῶν βί|οι βέ|βαιοι.

VI. *Bacchyllidius* est Dimeter Hypercatalectus. Ex. gr.

Corpo|ris so|luta | vincu|lis
Anima | nostr(a) ad | astra | transvo|lat.
Οἱ κα|κῶν βί|οι κα|τάρα|τοι.

§ 3. *De Trochaïcis trimetris.*

I. *Trimeter Brachycatalectus*, seu *Quinarius*, constat quinque pedibus. Ex. gr.

Ira | quæd(am) ex|pers son(i) | atque | muta.
Tende | Barby|ton, pu|ella | Lesbis.
Πολλά|κις θε|οὶ ῥυ|οῦσιν | ἄνδρα
Ἐκ κα|κῶν, αὖ|τις δ'ἀ|ναστρε|φοῦσι.

II. Uno semipede longior est *Trimeter Catalectus*. Ex. gr.

Nil mi|hi tec(um) | impu|dica, | nil Ve|nus.
Μήτε | πλουτῶν | ἀμφά|δην ἀ|γάλλε|ο.

III. Senarius plenus, seu *Trimeter Acatalectus*, componitur tribus Dipodiis. Ex. gr.

Nulla | jam fi|des in | orbe, | cuncta | prava.
Σὺν γέ|λωτι, | σὺν ἔ|ρωτι | γηράς | ὄλβον | .

IV. Unum semipedem addens sex pedibus, habebis *Trimetrum Hypercatalectum.* Ex. gr.

Urit | æstus | prata, | cor Cu|pido | lanci|nat.
Ἥλι|ος φλέ|γει πό|αν, ἔ|ρως δὲ | καρδί|αν.

Rari omnino reperiuntur Trimetri Trochaïci.

§ 4. *De Trochaïcis tetrametris.*

Trochaïcorum Versuum inprimis usitatus est *Tetrameter Catalecticus,* sive *Septenarius redundans,* quem Cæsura post secundam Dipodiam dividit in duas partes ferme æquales. Ex. gr.

Stant pa|rati | ferre | quidquid || sors tu|lisset | ulti|ma :
Seu fo|ret præ|benda | cervix || ad bi|pennem | publi|cam,
Sive | Pardis | offe|rendum || pectus | aut le|oni|bus.
Τίς ποτ' | ἡ βο|ή; τί | δ' ἔργον; || ἐκ τί|νος φό|βου πο|τὲ
Βουθυ|τοῦντα | μ' ἀμφὶ | βωμὸν || ἔσχετ' ἐ|ναλί|ῳ θε|ῷ.

Hic versus usurpari solet a poëtis dramaticis, præsertim comicis, ubi fervent affectus, nec Iambicum metrum sat vigoris habet, atque tum miscetur sæpe cum Octonario pleno seu Tetrametro Acatalecto. Tetrametris passim finiuntur comœdiæ.

Ex. *Tetram. Acat.*

Verba | dum sint: | verum | s(i) ad rem || confe|rentur | vapu|labit.
Κλῦθι | μευ γέ|ροντος | εὐέ|θειρα | χρυσό|πεπλε | κούρη.

Rarissimus Trochaïcorum est Pentameter, quo semel usus est Terentius.

Additamentum.

Versus Cretici affines sunt Trochaïcis. In illis vero dominantur pedes Cretici, seu, alio nomine, Amphimacri -⏑-. Pro Amphimacris licet etiam adhibere Molos-

sos - - -, Choriambos -⏑⏑ -, et Pæones quartos ⏑⏑⏑ -. Qui tamen, cum Amphimacrorum locum occupant, eâ vocis inflectione pronuntiandi sunt, ut discrimen leve videatur, et Rhythmus Creticus maneat salvus.

Cretici versus efficiuntur nonnunquam duobus, quandoque tribus, at sæpissime quatuor pedibus. Quaternarius passim Cæsuram habet inter secundum tertiumque pedem. Exempla :

Ph. Ūn(um) ēxŏ|rārĕ vōs || sĭnĭtĕ nōs. | Lo. Qūidn(am) ĭd ēst?
Ph. Ūt sĭn(e)hīs | ārbĭtrīs || ātquĕ vō|bīs lŏcūm
Dētĭ' nō|bīs lŏquēn|di. (*Dimeter Hyperc.*)
Lo. Fĭăt, āb|cēdĭt(e) hīnc : || nōs cōncē|dāmŭs hūc.
Sēd brĕv(em) ō|rātĭō|n(em) īncēpīs|s(e) : Ph. Hēm m(i) īstūc
Cērt(um) ĕrāt, | Cōncēd(e) hūc. (*Dimeter Acat.*)

Apud Alcmanem habetur etiam Creticus Pentameter Hypercatalectus. Ex. gr.

Ἀφροδί|τα μὲν οὐκ | ἔστι. Μάρ|γος δ'Ἔρως | οἷα παίσ|δει.

CAPUT VI.

De versibus Ionicis.

In *versibus Ionicis* dominantur pedes tetrasyllabi compositi ex duabus brevibus totidemque longis. Quod si Pyrrhichius præcedit, nominantur a minori; si contra Spondæus præcedit, appellantur a majori. Versuum Ionicorum haud frequens est usus.

I. *Ionicus a minori Dimeter* efficitur duobus pedibus. Ex. gr.

Tĭmŏr āddīt | pĕdĭbūs vīm.
Mĕmŏr ēstō | bĕnĕfăctī.
Ὄχλος ἄκρον | κακὸν ὄζει.
Θάνατου σεῦ | ἀναμνῆθι.

Cum Dimetro miscetur Tetrameter, constans quatuor pedibus. Ex. gr.

Celer alto | latitantem | fruticeto ex|cipere aprum.
Κακοδαίμων | πολύμοχθος | δόμους ἔλθων | Ἀΐδαω.

II. Nemo Latinorum usus est versibus *Ionicis a majori*; apud Græcos autem inveniuntur nonnunquam.

a. Dimetri, ut :

Ουδας θανα|του χαλκεον.

b. Trimetri, ut :

Ουτις στεφα|νωσει τινα | δουλον κακον.

c. Tetrametri, ut :

Ζευς παντα κυ|βερνα κατα | κοσμον περι | παντων αναξ.

Ad Ionicos a majori jure refertur *Sotadeus*, cujus auctor fuit *Sotades* Alexandrinus. Constat autem ex duobus Ionicis a majori et tribus Trochæis. Cæsura post primum pedem auget ipsius venustatem. Ex. gr.

Has cum gemi|nâ || compede | dedi|cat ca|tenas,
Saturne ti|bi || Zoïlus, | annu|los pri|ores.
Ὁ σκληρὸς ἄ|νους σκαία νο|εῖ, πο|ιεῖ τε | φαῦλα.

Ionici a minori Rhythmo Anapæstico, a majori vero Rhythmo Dactylico affines sunt.

CAPUT VII.

De versibus Rhythmi Choriambici.

Versus Choriambici habent Basim Spondaïcam, Catalexim Iambicam, et Choriambos inter utramque.

Pro numero pedum sunt Trimetri, Tetrametri et Pentametri.

§ 1. *De Choriambicis Trimetris.*

Choriambici trimetri, vel *Glyconici*, ab inventore suo *Glycone*, inter basim et catalexim unum habent Choriambum, juxta hoc

SCHEMA : – – | – ᴗ ᴗ – | ᴗ –

Exempla :

Regem | non faciunt | opes,
Non ves|tis Tyriæ | color,
Non fron|tis nota re|giæ.
Rex est | qui posuit | metus,
Et di|ri mala cor|dis, et
Quem non | ambitio | movet.
Πολλοῖς | ἀντιλέγειν | ἔθος,
Ἀλλ' οὐκ | ἀντιλέγειν | καλῶς.
Αὐτάρ|κους ἔραμαι | βίου.
Ἐκ γῆς | χρὴ κατιδεῖν | πλόον.

Horatius semel usus est basi Trochaïcâ :

Post certos hyemes uret Achaïcus
Īgnĭs | Iliacas | domos.

Catullus etiam Iambicâ basi :

Pŭēl|læ et pueri in|tegri.

In carminibus Choriambicis Horatii Glyconicus semper interponitur aliis metris; non ita in Choris Dramaticorum.

Demptâ ultimâ syllabâ habebis Pherecratium. Ob illam affinitatem Catullus ex utroque unito effinxit *Stesichorium*. V. g.

Hūnc lū|cūm tĭbĭ dē|dĭcō || cōnsē|crōquĕ Prī|āpĕ.

§ 2. *De Choriambicis Tetrametris.*

Choriambicus Tetrameter, vel *Asclepiadeus minor,* inter basim et catalexim continet duos Choriambos.

Schema : – – | –◡◡– || –◡◡– | ◡ –

Exempla :

Crescen|tem sequitur || cura pecu|niam
Majo|rumque fames. || Jure perhor|rui
Late | conspicuum || tollere ver|ticem.

Ἔλθων | ἐκ περάτων || γῆς ἐλεφαν|τίνων
Λαβὰν | τοῦ ξίφεος || χρυσοδέταν | ἔχει.

Dūrius sonant Asclepiadei carentes Cæsurâ inter utrumque Choriambum. Quapropter noli imitari sequentia Horatii.

Perru|pĭt Acheron|t(a) herculeus | labor.
Non in|cendia Car|thaginis im|piæ.

§ 3. *De Choriambicis Pentametris.*

Choriambicus Pentameter, s. *Asclepiadeus major,* basi Spondaicâ et catalexi Iambicâ obsidet tres Choriambos, quorum primus a secundo, et hic a tertio per Cæsuram debent esse separati.

Schema : – – | –◡◡– || –◡◡– || –◡◡– | ◡ –

Exempla :

Spem lon|gam reseces. || Dum loquimur, || fugerit in|vida
Ætas; | carpe diem, || quam minimum || credula pos|tero.

Ἀδμή|του λόγον, ὦ || 'ταῖρε μαθὼν, || τοὺς αγαθοὺς | φίλει,
Τῶν δειλῶν δ'ἀπέχου, || γνοὺς ὅτι δειλῶν ὀλίγα | χάρις.

Additamentum.

Existunt etiam *Choriambici Acephali,* id est, basi carentes, ac pro catalexi Iambicâ habentes Bacchiacam.

a. Trimeter :

Sī thălămūm | vīrgŏ fŭgīs | sĕnēscēs.
Μουσόγενὴς, | μουσοπάτωρ | ὄμηρος.

b. Tetrameter :

Plāudĕ mĕōs | Pārcă dĭes | dūlcĭsŏnā | quĭētĕ.
Οὐρανία | σπεῦδε μέλος | πυκνὸν ἐπαγ|γέλουσα.

c. Pentameter :

Ōmnĭpŏtēns | fūlmĭnĭs aū|thōr pĭĕtā|tīs gĕnĭūm | tŭērē.
Δαίμονες ὢ | σεμνότατοι | Φοῖβε, τε καὶ | Ζεῦ διδύμων | γεννῆτορ.

Reperitur aliud quoddam genus versuum Choriambicorum, a prædictis longe diversum, ac constans Choriambo, duobus Iambis, Chor. et Bacchio. Ex. gr.

Εκ πŏτăμοῦ | πăρέρ | χŏμαι | πάντă φέρου|σă λαμπρά.

Anac.

CAPUT VIII.

De versibus Hendecasyllabis.

Versuum *Hendecasyllaborum*, hoc est, undecim (ἕνδεκα) syllabis (συλλαβαῖς) constantium tria sunt diversa metra ; Alcaïcum scilicet, Phalæcium et Sapphicum, quorum primum referri potest ad Rhythmum Choriambicum, et duo reliqua ad Trochaïcum. Hæc tria versuum genera peculiarem habent gratiam, atque poësi lyricæ præ cæteris accommodata sunt.

§ 1. *De versu Alcaïco.*

Versus Alcaïcus, ita nuncupatus ab Alcæo, cujus, Proh dolor! poëtæ perpauca tantum fragmenta ad nos pervenere, componitur Spondæo, Bacchio, Choriambo et Iambo. Primus pes nonnunquam evadit Iambus. Cæsura intercedit secundam tertiamque sedem, raro neglecta a poëtis latinis.

Schema : ⏑– – | ⏑ – – || – ⏑ ⏑ – | ⏑ –

Exempla :

Dulce et | decorum est || pro patriâ | mori,
Mors et | fugacem || prosequitur | virum.
Οὐ χρὴ | κακοῖσι || θυμὸν ἐπι|τρέπειν.
Τὸ μὲν | γαρ ἔνθεν || κῦμα κυλίν|δεται.

Quâ ratione componatur stropha Alcaïca, vide cap. seq., art. 5.

§ 2. *De versu Phalæcio.*

Versus Phalæcius complectitur Spondæum, Dactylum et tres Trochæos. Prima sedes etiam recipit Trochæum et Iambum.

Schema : ⏑– –⏑ | – ⏑ ⏑ | – ⏑ | – ⏑ | – ⏑

Exempla :

Si for|tuna ju|vat, ca|veto | tolli,
Si for|tuna to|nat, ca|veto | mergi.
Οὐ στέρ|γω βαθυ|λήϊ|ους ἀ|ρούρας,
Οὐκ ὄλ|βον πολύ|χρυσον, | οἷα | Γύγης.
Τὸ μη|δὲν γὰρ ἄ|γαν, ἄ|γαν με | τέρπει.

Non imitandus videtur Catullus, quando secundam sedem tribuit Spondæo; perit enim omnis Phalœcii

carminis venustas, accommodata lepidis et jocosis argumentis, dum nimio Spondæorum pondere gravatur.

§ 3. *De versu Sapphico.*

Versus Sapphicus efficitur Trochæo, Spondæo, Dactylo et duobus Trochæis, juxta hoc

SCHEMA : —⏑ | — — | —⏑⏑ | —⏑ | —⏑.

Exempla :

Nemo | confi|dat nimi|um se|cundis,
Nemo | despe|ret meli|ora | lapsis.
Miscet | hæc il|lis, probi|betque | Clotho
Stare | fortu|nam; rotat | omne | fatum.
Πάντα | δὲ σφάλ|λων ὁ μέ|γιστος | αἰών,
Καὶ με|ταπλάσ|σων βίον | ἄλλοτ' | ἄλλως.

Uti videre est in allatis exemplis, passim est cæsura post secundum pedem, rarius post tertium, ut in his :

Mercu|ri fa|cunde ne|pos A|tlantis.
Σφίγγε|ται, σὺ | δ'ἀσφαλέ|ως κυ|βερνᾷς.

Quandoque, sed raro, Dactylus occupat sedem primam. Ex. gr.

Κ'ὄττι γ'ἐ|μῷ μάλ|ιστ' ἐθέ|λω γε|νέσθαι.

Versus Sapphicus aliquando fit Hypermeter, seu concatenatus. Ex. gr.

Dissidens plebi numero beator(um)
Eximit virtus...........

Interdum etiam vox ultima ita discerpitur, ut illius pars posterior transferatur in versum sequentem. Ex. gr.

Labitur ripâ Jove non probante ux-
Orius amnis.

Πυκνὰ δινεῦντες πτέρ' ἀπ' ὠραν' αἰθέ-
Ρος διὰ μεσσω.

CAPUT IX.

De versuum Cohortibus.

Non omne Carmen constat uno eodemque metro, sed, pro rerum poëmatumque diversitate, varie mixtis licet uti. Certa regula tradi nequit. Quilibet suo arbitratu poterit opulentiorem reddere Poësim, excogitando novas cohortes, dummodo id fiat cum judicio.

Dramatici et lyrici vates Græcorum, maximeque Pindarus, immanem sæpe numerum miscuerunt. At Latini sobrie magis hâc licentiâ usi sunt.

Horatius nunquam miscuit plura tribus; Catullus etiam quatuor. In hoc capite agemus tantum de cohortibus versuum maxime obviis.

Carmen unius metri vocatur *Monocolon*, Duplici metro contextum, *Dicolon;* triplici *Tricolon*.

Si metra alternis recurrunt, dicitur *Distrophon;* si post tertium quemque versum, *Tristrophon;* si post quartum, *Tetrastrophon*. Sunt itaque carmina :

1° Monocola Monostropha.
2° Dicola Distropha.
3° Dicola Tristropha.
4° Dicola Tetrastropha.
5° Tricola Tristropha.
6° Tricola Tetrastropha.

Articulus I.

Dicolon Distrophon dicitur carmen, in quo alternis

recurrentia adhibentur duo diversa metra. Horum notatu dignissimæ cohortes sunt :

1° Hexametrum cum Pentametro. V. g.

Rūstĭcŭs | āgrĭcŏ|lām, mī|lēs fĕră | bēllă gĕ|rēntēm,
Rēctōr|ēm dŭbĭ|æ || nāvĭtă | pūppĭs ă|māt. Ov.

2° Hexametrum heroïcum cum Archilochio. V. g.

Diffugere nives redeunt jam gramina campis
Ārbŏrĭ|būsquĕ cŏ|mæ. Hor.

3° Hexametrum cum heroïco-tetrametro. V. g.

Quo nos cunque feret melior fortuna parente,
Ībĭmŭs, | ō sŏcĭ|ī cŏmĭ|tēsquĕ. Hor.

4° Hexametrum cum Iambico quaternario. V. g.

Nox erat, et cœlo fulgebat luna sereno
Īntēr | mĭnō|ră sī|dĕrā. Hor.

5° Hexametrum cum Iambico senario. V. g.

Altera jam teritur bellis civilibus ætas,
Sŭīs | ĕt īp|să Rō|mă vī|rĭbūs | rŭīt. Hor.

6° Iambicus senarius cum Quaternario. V. g.

Sīc ēst, | ăcēr|bă fā|tă Rō|mānōs | ăgūnt,
Scĕlūs|quĕ frā|tērnæ | nĕcīs. Hor.

7° Trochaïcus quaternarius mutilus cum Iambico senario mutilo. V. g.

Nōn ĕ|būr nĕ|qu(e) āurĕ|ūm
Mĕā | rēnī|dĕt īn | dŏmō | lăcū|nār. Hor.

8° Dactylico-Trochaïcus cum Iambico senario mutilo. V. g.

Sōlvĭtŭr | ācrĭs hўĕ|ēms grā|tā vĭcĕ || vērĭs | ēt fă|vōnĭ,
Trăhūnt|quĕ sīc|cās mā|chĭnæ | cărī|nās. Hor.

9° Choriambicus trimeter cum Choriambico tetrametro. V. g.

Aūdāx | ōmnĭă pĕr|pĕtī
Gēns hū|mānă rŭĭt || pĕr vĕtĭtūm | nĕfās. HOR.

10° Choraïcus cum Sapphico majore. V. g.

Lȳdĭă, | dīc, pĕr | ōmnĕs
Tē dĕ|ōs ō|rō, sȳbă|rīm || cūr prŏpĕ|rēs ă|māndŏ. HOR.

ART. 2.

Dicolon Tristrophon constat tribus versibus duplicis metri. Unum tantum inveni inter lyrica Horatii, scilicet :

Duo tetrametra cum uno dimetro Ionico a majori. V. g.

Mĭsĕrār(um) ēst | nĕque ămōrī | dărĕ lūdūm, | nĕquĕ dūlcī
Mălă vīnō | lăvĕr(e) āut ēx|ănĭmārī | mĕtŭēntēs
Pătrĭæ vĕr|bĕră līnguæ. HOR.

ART. 3.

Dicolon Tetrastrophon est carmen cujus singulæ strophæ complectuntur tres ejusdem, et unum alterius metri versum. Istiusmodi sunt :

1° Stropha Choriambica, quæ post tres Asclepiadeos minores unum habet Glyconicum. Adhibetur autem præcipue in Odis adhortatoriis : v. gr.

Quāntō | quīsquĕ sĭbī || plūră nĕgā|vĕrīt,
Ab dîs | plura feret; || nil cupien|tium
Nudus | castra peto; || transfuga di|vitum
Pārtēs | līnquĕrĕ gēs|tĭēns. HOR.

2° Stropha Sapphica, quâ vicies septies usus est Horatius, ob dignitatem melos idoneam summis animi motibus; conficitur autem tribus Sapphicis et uno Adonio. V. g.

Cōecŭs | ĕst īg|nīs stĭmŭ|lātŭs | īrâ,
Nec re|gi cu|rat pati|turve | frœnum:
Haud ti|met mor|tem, cupit | ire in | ipsos
Ōbvĭŭs | ēnsēs. Sen.

Art. 4.

Tricolon Tristrophon constat tribus versibus varii metri, quâlibet in strophâ eodem ordine recurrentibus. Istiusmodi cohortum duas species reperio in carminibus Horatii.

1° Hexametrum Heroïcum cum Iambico quaternario et Archilochio. V. g.

Pectore | te gra|to domi|numque de|umque fa|tebor,
Coram | super|bis re|gibus,
Et tua | facta ca|nam. Hor.

2° Iambicus Senarius cum Archilochio et Iambico quaternario. V. g.

Pe(ti, | nihil | me si|cut an|tea | juvat
Scribere | versicu|los,
Amo|re per|culsum | gravi. Hor.

Art. 5.

Tricolon Tetrastrophon in quâlibet strophâ præmittit duos versus ejusdem metri, duobus aliis versibus metro diversis.

1° Bini Asclepiadei minores cum Pherecratio et Gly-

conico. Eâ versuum mixtione delectatur Horatius, in perstringendo, admonendo, odisque solemnibus. V. g.

O na|vis, referent || in mare te | novi
Fluctus. | O, quid agis! || fortiter oc|cupa
Portum. | Nonne vi|des ut
Nudum | remigio | latus? Hor.

2° *Oda Alcaica*, præ cæteris apta lyricæ poësi, utpote quæ cum dignitate suavitatem maximam conjungit, composita est duobus Alcaïcis, Iambico quaternario redundante, et Dactylico Alcaïco. Ex. gr.

Non sem|per idem || floribus est | honos
Vernis, | nequ(e) uno || luna rubens | nitet
Vultu. | Quid æ|ternis | mino|rem
Consili|is ani|mum fa|tigas? Hor.

SUPPLEMENTUM

DE

VERSIFICATIONE GALLICA;

JUXTA

DOMAIRON ET LEBATTEUX.

DE LA
VERSIFICATION FRANÇAISE.

Article premier.

De la structure des vers.

Le discours mesuré, que je considère ici dans sa forme seulement par opposition à la prose, consiste dans un certain arrangement des mots, suivant des règles déterminées. Les mots ainsi arrangés forment des vers, qui sont composés d'un certain nombre de syllabes ou pieds.

Il y en a qui en ont douze, et qu'on appelle Alexandrins, Héroïques, ou grands vers. Ils ont à la sixième syllabe une césure : c'est un repos que le sens doit autoriser, et qui coupe les vers en deux parties, dont chacune s'appelle Hémistiche.

D'autres vers ont dix pieds : on les appelle Communs, et ils ont la césure après le quatrième.

Il y en a qui ont huit pieds. Ces vers n'ont point de césure, non plus que ceux dont le nombre des pieds (syllabes) est au-dessous de huit.

Les vers sont maculins ou féminins. Ils sont masculins, lorsque la dernière syllabe du mot qui les termine, a une toute autre voyelle que l'E muet. Ainsi les mots *captivité*, *charmer*, *succès*, *travail*, *repos*, *obtenir*, *puissant*, *rendu* etc., pourraient être mis à la fin d'un vers masculin.

Les vers féminins sont ceux dont le dernier mot est terminé par un E muet, soit seul, soit accompagné d'une

ou de plusieurs consonnes. Ainsi les mots *envie*, *confondue*, *agitée*, *terre*, *féconde*, *bocages*, *fleurissent*, *instruisent* etc., pourraient terminer un vers féminin. Ces sortes de vers ont toujours à la fin une syllabe de plus que les masculins : en sorte que l'on pourrait dire que les grands vers féminins ont treize pieds, les communs onze, et ainsi des autres. Mais cette dernière syllabe des vers féminins, ne rendant qu'un son très-peu sensible, à cause de l'E muet, n'est comptée pour rien. Voici des exemples de ces différentes espèces de vers :

ALEXANDRINS.

Masculin : La-ver-tu-doit-rég-ner, | on-con-seil-ler-les-rois.
Féminin : Quel-ques-cri-mes-tou-jours | pré-cè-dent-les-grands-crimes.

COMMUNS.

Masculin : On-vit-heu-reux | quand-on-est-sans-dé-sirs.
Féminin : Le-na-tu-rel | est-le-sceau-du-gé-nie.

DE HUIT PIEDS.

Masculin : Rien-ne-du-re-que-ce-qui-plaît.
Féminin : Les-grâ-ces-sui-vent-tous-les-âges.

DE SEPT PIEDS.

Masculin : La-ver-tu-nous-rend-é-gaux.
Féminin : Le-temps-dé-truit-tou-tes-choses.

DE SIX PIEDS.

Masculin : Soy-ez-bon-vous-plai-rez.
Féminin : Le-sot-de-tout-s'ir-rite.

On fait encore des vers qui ont moins de six pieds; mais ce n'est guère que dans les pièces libres et badines, ou destinées à être mises en musique. Ce couplet de

Panard nous en fait voir de cinq, de quatre et d'un seul pied :

On voit des commis
Mis
Comme des princes,
Et qui sont venus
Nus
De leurs provinces.

Si dans le corps du vers la dernière syllabe est terminée par un E muet seul, et que le mot qui le suit commence par une voyelle ou par une H non aspirée, cette syllabe se mange, et se confond dans la prononciation avec la première du mot suivant, comme on le voit dans ces vers :

Nous-som-mes-loin-de-nous | à-toute-heure-entraî-nés.
El-le-flotte,-elle-hé-site, | en-un-mot-elle-est-femme.

L'E muet seul, accompagné d'une ou de plusieurs consonnes, n'ayant qu'un son sourd et imparfait, ne peut jamais terminer le repos, soit que cet E muet forme la sixième syllabe, soit qu'il forme une syllabe surabondante. Ainsi ces vers ne vaudraient rien :

U-ne-peur-sou-dai-*ne* | gla-ça-tous-les-es-prits.
Des-ser-pens-de-l'en-*vie* | son-cœur-est-dé-vo-ré.

Il faut que cet E muet s'élide avec un mot qui commence par une voyelle, comme dans ces vers :

Le crime fait la hon*te* | et non pas l'échafaud.
La vertu sous le chau*me* | attire nos hommages.

Les mots qui ont une voyelle avant l'E muet final, tels que *manie*, *punie*, *vue*, *perdue*, *rosée*, *boue*, *plaie* etc., ne peuvent s'employer dans le corps d'un

vers, que quand ils sont suivis d'un mot qui commence par une voyelle, avec laquelle l'E muet s'élide. Ainsi ces vers ne sont pas bons :

Mais-el-le-bat-ses-gens | et-ne-les-pai-*e*-pas.
La-vu-*e*-s'é-ten-dait | sur-un-co-teau-fer-tile.
Au-dis-cours-des-flat-teurs | qu'on-ne-se-fi-*e*-pas.
La-vi-*e*-des-hé-ros | doit-nous-ser-vir-d'ex-emple.

Les mots dans lesquels l'E muet, précédé d'une voyelle et suivi d'une ou de plusieurs consonnes, ne peut point se confondre par la prononciation avec une autre syllabe, tels que *orgies*, *hardies*, *frappées*, *trompées*, *emploient*, *confient*, *essuient* etc., ces mots, dis-je, ne peuvent jamais entrer dans le corps d'un vers. Ex.

Ces-fem-mes-ont-été | pu-ni-*es*-à-pro-pos.
Ils-voi-*ent*-en-tous-lieux | des-ob-jets-en-chanteurs.
As-sas-sins-ef-fron-tés | ils-dé-ni-*ent*-leurs-cri-mes.
Ils-vous-jou-*ent*-tout-bas | et-vous-lou-ent-tout-haut.

L'E muet au dedans d'un mot, et précédé d'une voyelle, se supprime toujours en poésie. Ainsi, au lieu d'écrire *agréerai*, *ralliera*, *crierons*, *oublierais*, *gaieté*, *maniement*, *dévouement* etc., on écrit *agrérai*, *rallîra*, *crîrons*, *oublîrais*, *gaîté*, *manîment*, *dévoûment*, etc. C'est ce que l'on voit dans ces vers :

L'esprit et la gaîté, | la grâce et l'enjoûment
Ornent tout à la fois | votre style charmant.
Sans les remords affreux | qui déchirent mon cœur,
Hiéron, j'oublîrais | qu'il est un ciel vengeur.

Il faut absolument éviter dans les vers la rencontre des voyelles, ou d'une H non aspirée, qui ne se mangent point dans la prononciation : c'est ce qu'on appelle

Hiatus. On ne pourrait jamais faire entrer dans un vers ces mots, *loi évangélique, Dieu immortel, vérité éternelle, vrai honneur, foi assurée*, etc. Il en est de même de la conjonction *et* avant un mot qui commence par une voyelle. On peut cependant répéter la conjonction *oui*, ou la mettre après une interjection, comme on le voit dans ces vers :

> *Oui, oui*, je veux venger votre honneur et le mien.
> Hé! *oui*, je ferai tout pour ne pas vous déplaire.

Art. 2.

De la Rime.

Les vers français tirent leur plus grande beauté de la *rime*. Elle est une convenance de sons à la fin des mots qui terminent plusieurs vers. La rime qu'on appelle *masculine* est celle qui termine les vers masculins, et la *féminine*, celle qui termine les vers féminins. Ex.

> Quelque sujet qu'on traite, ou plaisant ou subl*ime*,
> Que toujours le bon sens s'accorde avec la r*ime*.
> L'un l'autre vainement ils semblent se ha*ïr*,
> La rime est une esclave, et ne doit qu'obé*ir*.

On ne considère pour la rime masculine que le son de la dernière syllabe des mots, soit que cette dernière syllabe s'écrive de même, soit qu'elle s'écrive différemment. Ainsi les mots *plaisir, repos, candeur*, rimeront non-seulement avec *désir, dispos, froideur*, mais encore avec *soupir, berceaux, douleur*, et tous les mots terminés par *ir, os* (aux, eaux, ots), et *eur*.

Cependant le seul E fermé ne suffit point pour cette rime. *Frivolité* ne peut pas rimer avec *aimé ; consterné*

avec *embrassé*. Il faut que la lettre qui précède cet E fermé soit la même dans les deux mots. Ainsi *frivolité* rimera fort bien avec *vanité*; *consterné* avec *enchaîné*.

Le son de la dernière syllabe des mots ne suffit pas pour la rime féminine, parce que la prononciation sourde et obscure de l'E muet empêche d'y apercevoir une convenance sensible. Ainsi *monde* ne rime pas avec *demande*, quoique la dernière syllabe de ces deux mots soit la même. Il faut pour la rime féminine prendre la convenance des sons de l'avant-dernière syllabe des mots, comme dans ceux-ci : *monde-féconde; bocage-ombrage; cantique-portique; nature-verdure; instruire-conduire*.

Mais *guerre*, *terre*, *tonnerre*, ne peuvent pas rimer avec *père*, *hémisphère*, *colère*; la convenance des sons ne se trouvant pas dans l'avant-dernière syllabe de ces mots : non pas précisément parce que les premiers ont deux rr, et que les autres n'en ont qu'un; mais parce que dans les mots *guerre*, *terre*, *tonnerre*, le premier E est fort ouvert, et que dans les autres il l'est beaucoup moins.

Le seul E fermé dans l'avant-dernière syllabe d'un mot terminé par un E muet, ne suffit point pour la rime féminine. *Adorée*, *trompée*, *épouvantée*, ne rimeront pas avec *charmée*, *brisée*, *consolée*; mais rimeront très-bien avec *sacrée*, *frappée*, *chantée*.

Les pluriels ne riment point avec les singuliers, à moins que ces deux nombres ne soient terminés par la même consonne ou une consonne équivalente. Ainsi, *agréable*, *jeu*, *bijou*, *complot*, *vérité*, ne rimeront pas avec leurs pluriels, *agréables* etc.; mais *fastueux*,

courroux, voix, repos, quoiqu'au singulier, rimeront avec *jeux, bijoux, exploits, coteaux,* au pluriel, attendu que les consonnes finales sont les mêmes, ou du moins équivalentes.

Un mot peut rimer avec lui-même. Mais ce n'est que quand il est pris dans des significations différentes, comme dans ces vers :

> Chaque objet frappe, éveille et satisfait mes sens :
> Je reconnais les dieux au plaisir que je sens.

Les rimes peuvent être *suivies* ou *entremêlées.* Elles sont *suivies* lorsque, après deux rimes masculines, il s'en trouve deux féminines. Ex.

> N'offrez rien au lecteur que ce qui peut lui plaire;
> Ayez pour la cadence une oreille sévère;
> Que toujours dans vos vers, le sens coupant les mots,
> Suspende l'hémistiche, en marque le repos.

Elles sont *entremêlées,* lorsqu'une rime masculine est séparée de celle qui y répond par une ou deux féminines, ou lorsque, entre deux rimes féminines, il se trouve une ou deux rimes masculines. Ex.

> J'ai cherché ce bonheur qui fuyait de mes bras,
> Dans mes palais de cèdre, au bord de cent fontaines;
> Je le redemandais aux voix de mes sirènes :
> Il n'était point dans moi, je ne le trouvais pas.

On ne peut point établir des règles pour le mélange des rimes; il y a plusieurs manières de les croiser. C'est au poète de choisir la plus agréable à l'oreille, et la plus convenable à son sujet.

Art. 3.

Mélange des vers, ou stances.

On doit aussi entremêler les rimes dans les *stances* ou *strophes*, qui sont un certain nombre de vers, après lesquels le sens est fini et complet. Elles se divisent en stances de nombre pair, et en stances de nombre impair.

§ 1.

Celles de *nombre pair* sont de quatre, de six, de huit et de dix vers.

1° Dans les stances de quatre vers, ou *quatrains*, on peut employer indifféremment toutes sortes de mesures, et l'on doit entremêler les rimes, en faisant rimer le premier avec le troisième, et le second avec le quatrième. En voici des exemples :

Premier exemple.

Modérons nos propres vœux,
Tâchons de nous mieux connaître.
Désires-tu d'être heureux?
Désire un peu moins de l'être.

Deuxième exemple.

Conti n'est plus, ô ciel! ses vertus, son courage,
La sublime valeur, le zèle pour son roi,
N'ont pu le garantir, au milieu de son âge,
De la commune loi.

On fait aussi rimer, dans ces sortes de stances, le premier avec le quatrième, et le deuxième avec le troisième. Ex.

Pour vous, l'amante de Céphale
Enrichit Flore de ses pleurs :
Le Zéphyr cueille sur les fleurs
Les parfums que la terre exhale.

2° Dans les *stances de six vers* il y a différentes manières d'entremêler les rimes et de varier la mesure. Celle qui est assez commune et fort belle, consiste à faire rimer les deux premiers vers, et à terminer le sens après le troisième, qui doit rimer avec le sixième.

Premier exemple.

Nous admirons le fier courage
Du lion fumant de carnage,
Symbole du Dieu des combats.
D'où vient que l'univers déteste
La couleuvre, bien moins funeste?
Elle est l'image des ingrats.

Deuxième exemple.

Non, non, sans le secours des filles de mémoire
Vous vous flattez en vain, partisans de la gloire,
D'assurer à vos noms un heureux souvenir.
Si la main des neuf sœurs ne pare vos trophées,
Vos vertus étouffées
N'éclaireront jamais les yeux de l'avenir.

On voit aussi des stances de six vers, qui ne sont composées que de deux rimes, et où le sens n'est terminé qu'après le dernier vers. Ex.

Sous des arbres dont la nature
A formé de riaus berceaux,
Entre des tapis de verdure,
Que nourrit la fraîcheur des eaux,
Serpente avec un doux murmure
Le plus transparent des ruisseaux.

3° Les *stances de huit vers* ne sont, à proprement parler, que deux quatrains unis; soit que les vers aient

tous la même mesure, comme dans le premier des exemples suivans, soit qu'ils n'aient pas la même mesure, comme dans le second exemple.

Premier exemple.

Venez, nations arrogantes,
Peuples vains et voisins jaloux,
Voir les merveilles éclatantes,
Que sa main opère pour nous.
Que pourront vos lignes formées
Contre le bonheur de nos jours,
Quand le bras du Dieu des armées
S'armera pour notre secours?

Deuxième exemple.

O bienheureux mille fois
L'enfant que le Seigneur aime,
Qui de bonne heure entend sa voix,
Et que ce Dieu daigne instruire lui-même!
Loin du monde élevé, de tous les dons des cieux
Il est orné dès sa naissance;
Et du méchant l'abord contagieux
N'altère point son innocence.

4° Voici, pour les *stances de dix vers*, la mesure la plus harmonieuse, et le mélange de rimes le plus agréable. Les vers composés de huit syllabes, sont arrangés de manière que le premier réponde au troisième, et le second au quatrième, que le cinquième et le sixième riment ensemble, que le septième réponde au dixième, et que le huitième rime avec le neuvième. Ex.

Montrez-nous, guerriers magnanimes,
Votre vertu dans tout son jour.

Voyons comment vos cœurs sublimes
Du sort soutiendront le retour.
Tant que sa faveur vous seconde,
Vous êtes les maîtres du monde,
Votre gloire nous éblouit.
Mais au moindre revers funeste,
Le masque tombe, l'homme reste,
Et le héros s'évanouit.

Parmi les autres mélanges de rimes dans les stances de dix vers, celui-ci est le plus beau. Ex.

Combien plus sage et plus habile
Est un roi, qui par ses faveurs
Songe à s'élever dans les cœurs
Un trône durable et tranquille;
Qui ne connaît point d'autres biens,
Que ceux que ses vrais citoyens
De sa bonté peuvent attendre;
Et qui prompt à les discerner,
N'ouvre les mains que pour répandre,
Et ne reçoit que pour donner.

§ 2.

Les *stances de nombre impair* sont de cinq, de sept et de neuf vers. Il faut nécessairement y mettre trois rimes semblables, mais on ne doit jamais les placer de suite. En voici des exemples :

Exemple de cinq vers.

Le volage amant de Clytie
Ne caresse plus nos climats;
Et bientôt des monts de Scythie
Le fougueux époux d'Orithie
Va nous ramener les frimats.

Exemple de sept vers.

Ingénieuses rêveries,
Songes rians, sages loisirs,
Venez sous ces ombres chéries;
Vous suffirez à mes désirs.
Plaisirs brillans, troublez es villes;
Plaisirs champêtres et tranquilles,
Seuls vous êtes les vrais plaisirs.

Exemple de neuf vers.

Le roi des cieux et de la terre,
Descend au milieu des éclairs :
Sa voix comme un bruyant tonnerre
S'est fait entendre dans les airs.
Dieux mortels, c'est vous qu'il appelle :
Il tient la balance éternelle,
Qui doit peser tous les humains.
Dans ses yeux la flamme étincelle,
Et le glaive brille en ses mains.

Il en est de ces stances de nombre impair, comme de celles de nombre pair. Les vers y peuvent être d'inégale mesure ; c'est ce qu'on peut voir dans les deux exemples suivans, l'un de cinq et l'autre de sept vers :

Premier exemple.

Que j'aime à contempler, dans mes heureux caprices,
Des profondes forêts le silence et l'horreur,
Les rochers sourcilleux, les vastes précipices !
Ce noir aspect fait mes délices,
Et je jouis de ma terreur.

Deuxième exemple.

On peut des plus grands rois surprendre la justice.
Incapables de tromper,

Ils ont peine à s'échapper
Des piéges de l'artifice.
Un cœur noble ne peut soupçonner dans autrui
La bassesse et la malice,
Qu'il ne sent point en lui.

§ 3. *Stances régulières et irrégulières.*

On appelle *stances régulières*, une suite de stances qui ont toutes la même forme, soit pour la mesure et le nombre des vers, depuis quatre jusqu'à dix, soit pour le mélange et la combinaison des rimes, comme dans l'exemple suivant :

1 Rois, chassez la calomnie!
Ses criminels attentats
Des plus paisibles états
Troublent l'heureuse harmonie.
2 Sa fureur, de sang avide,
Poursuit partout l'innocent.
Rois, prenez soin de l'absent
Contre sa langue homicide.
3 De ce monstre si farouche
Craignez la feinte douceur :
La vengeance est dans son cœur,
Et la pitié dans sa bouche.

On appelle *stances irrégulières* une suite de stances qui ont chacune une forme différente. En voici un exemple :

PREMIÈRE STROPHE.

Déplorable Sion, | qu'as-tu fait de ta gloire?
Tout l'univers | admirait ta splendeur.
Tu n'es plus que poussière; | et de cette grandeur
Il ne nous reste plus | que la triste mémoire.

Sion, jusques au ciel | élevée autrefois,
Jusqu'aux enfers | maintenant abaissée,
Puissé-je demeurer sans voix,
Si dans mes chants | ta douleur retracée
Jusqu'au dernier soupir | n'occupe ma pensée.

DEUXIÈME STROPHE.

O rives du Jourdain! | O champs aimés des cieux!
Sacrés monts, fertiles vallées,
Par cent miracles signalées!
Du doux pays de nos aïeux
Serons-nous toujours exilées?
Quand verrai-je, ô Sion! | relever tes remparts
Et de tes tours | les magnifiques faîtes?
Quand verrai-je de toutes parts
Tes peuples en chantant | accourir à tes fêtes?

TROISIÈME STROPHE.

Ton Dieu n'est plus irrité.
Réjouis-toi, Sion, | et sors de la poussière;
Quitte les vêtemens | de ta captivité,
Et reprends ta splendeur première.
Les chemins de Sion | sont à la fin ouverts :
Rompez vos fers,
Tribus captives;
Troupes fugitives,
Repassez les monts et les mers;
Rassemblez-vous | des bouts de l'univers.

Parmi les différentes manières de mélanger les vers et les stances, il faut encore remarquer le Sonnet et le Rondeau, dont le mécanisme se prête si bien à la poésie lyrique.

Du Sonnet.

Boileau, en traçant les règles du sonnet, dit, au second livre de sa poétique, qu'Apollon

Voulant pousser à bout tous les rimeurs françois,
Inventa du sonnet les rigoureuses lois *;
Voulut, qu'en deux quatrains de mesure pareille
La rime avec deux sons frappât huit fois l'oreille;
Et qu'ensuite six vers, artistement rangés,
Fussent en deux tercets par le sens partagés.
Surtout de ce poème il bannit la licence:
Lui-même en mesura le nombre et la cadence:
Défendit qu'un vers faible y pût jamais entrer,
Ni qu'un mot déjà mis osât s'y remontrer.

Les vers du grand législateur du Parnasse français nous font si bien connaître les règles du sonnet, qu'il suffira d'en donner un exemple, pour en avoir une idée exacte:

PREMIER QUATRAIN.

Grand Dieu, tes jugemens sont remplis d'équité.
Toujours tu prends plaisir à nous être propice:
Mais j'ai tant fait de mal que jamais ta bonté
Ne me pardonnera qu'en blessant ta justice.

DEUXIÈME QUATRAIN.

Oui, Seigneur, la grandeur de mon impiété
Ne laisse à ton pouvoir que le choix du supplice.
Ton intérêt s'oppose à ma félicité,
Et ta clémence même attend que je périsse.

* Autrefois *ois* équivalant à *ais* rimait avec *ois* prononcé d'une toute autre manière.

PREMIER TERCET.

Contente ton désir, puisqu'il t'est glorieux,
Offense-toi des pleurs qui coulent de mes yeux,
Tonne, frappe, il est temps, rends-moi guerre pour guerre.

DEUXIÈME TERCET.

J'adore, en périssant, la raison qui t'aigrit,
Mais dessus quel endroit tombera ton tonnerre
Qui ne soit tout couvert du sang de Jésus-Christ?

DES BARREAUX.

Du Rondeau.

Le rondeau est un petit poème composé de treize vers avec deux refrains. Les vers sont sur deux rimes, dont huit masculines et cinq féminines, ou sept masculines et six féminines. Le premier refrain est après le huitième vers, et le dernier après le treizième. Outre cela, il y a un repos nécessaire après le cinquième vers. Le refrain doit toujours être lié avec la pensée qui précède, et en terminer le sens d'une manière qui soit naturelle. Il plaît surtout quand avec ces mêmes mots il donne des idées différentes. Voici un exemple qui contient les règles mêmes du rondeau.

Ma foi, c'est fait de moi, car Isabeau
M'a conjuré de lui faire un rondeau.
Cela me met dans une peine extrême.
Quoi, treize vers, huit en EAU, cinq en ÈME!
Je lui ferais aussitôt un bateau.
En voilà cinq pourtant en un monceau.
Faisons-en huit en invoquant Brodeau,
Et puis mettons par quelque stratagème,
Ma foi, c'est fait.

Si je pouvais encor de mon cerveau
Tirer cinq vers, l'ouvrage serait beau.
Mais cependant me voilà dans l'onzième,
Et si je crois que je fais le douzième,
En voilà treize ajustés au niveau :
Ma foi, c'est fait.

FINIS PARTIS RHYTHMICÆ.

ARS

CONDENDORUM ET ORNANDORUM

VERSUUM.

PARS POSTERIOR,

DE ELOCUTIONE POETICA.

PARS POSTERIOR,

DE

ELOCUTIONE POETICA.

CAPUT I.

Quid sit elocutio in universum, et quid elocutio poëtica.

Postquam artis poëticæ candidati rationem construendorum miscendorumque versuum sufficienter edocti sunt, in id statim incumbere debent, ut elocutionis poëticæ, de quâ nunc acturi sumus, vim et gratiam diligenter observent, meditandisque excellentissimorum poëtarum carminibus toto animo combibant, ac ipsi sua, quæ forte componant carmina, omni quam patiantur venustate exornent.

Elocutionem autem in universum dico cogitationum idoneam expositionem per verba sententiasque. Unde sequitur omnem elocutionem duobus elementis constare, nimirum, verbis ad exprimendas ideas quam maxime accommodatis, et sententiis, seu legitimâ verborum ad integram phrasim compositione.

Præcepta elocutionis, quà verba, quà sententias spectant, partim generalia sunt, partim peculiaria. Generalia in omni oratione, quum metro adstrictâ, tum solutâ, observari debent; peculiaria vero respiciunt hanc illamve materiam ac characterem.

Generalia elocutionis præcepta hæc sunt. Cogitationes nostræ, priusquam ope verborum et sententiarum proferantur, sint ante omnia veræ, id est, rebus ipsis consentientes : nam

> . . . . Cui lecta potenter erit res,
> Nec facundia deseret hunc, nec lucidus ordo.
>
> Hor. A. p.

Omnis dictio sit pura : Puritas autem, quam hîc commendamus, nihil aliud est quam observatio incorrupte loquendi juxta morem cujuslibet linguæ; fugiantur itaque voces vocumque constructiones obsoletæ, perturbatæ, et, ubi patrius sermo non deest, ex aliis linguis petitæ, nisi id fiat majoris elegantiæ causâ. Puritatem elocutionis necessario sequitur perspicuitas, quæ efficit ut ab omnibus facile intelligaris. Tandem elocutio habeat ornatum et dignitatem; id est, pro rerum, quæ tractantur, naturâ, sit illustris, gravis, jucunda, varia et numerosa. Talis erit, si neque deprimitur infra rerum dignitatem, neque supra eam extollitur : Illud enim stylum abjectum, hoc tumidum reddit; quod utrumque vitium sedulo vitarunt auctores classici. Dignitas elocutionis requirit quoque sanctitatem et castam virilitatem verborum ac imaginum. Non enim, ait Cl. Grenanus, illam laudamus artem quæ gravem mephitim inhalet legentium animis, sed quæ suavissimum castissimumque odorem aspiret; non quæ meretricio cultu adulterata mentes enervet atque emolliat, sed quæ decenti cultu insignita illas roboret atque erigat; non illam quæ inaniter tinniat auribus, sed quæ utiliter præcipiat; uno verbo, illam elocutionem lauda-

mus, e quâ sanctitas disciplinæ, et, ut sic dicam, virilitas jucunde percipiatur.

Præcepta peculiaria, uti supra diximus, non omnem sed certam quamdam ac determinatam materiam respiciunt. Quilibet enim facile intelliget, non eodem stylo exarandam esse fabellam Æsopicam, quo Iliadem aut Odysseam; item dictionem comœdiæ, quæ ridendo mores castigare studet, longe diversam esse a tragœdiâ, cujus scopus est terrorem et commiserationem incutere per repræsentationem rei luctuosæ, et, ut aïunt, lacrymarum plenæ. Cuivis arti scientiæque propria est scribendi ratio. Scientiæ abstractæ respuunt omnem non necessarium ornatum, perspicuâ simplicitate et virili gravitate contentæ. Historia paulo altius assurgit, non tamen ad eloquentiæ seu poëseos usque splendorem. Poësim vero et eloquentiam quamvis magna intercedat cognatio, si quidem orator esse nequit, nisi poëtico spiritu incitetur, neque poëta bonus nisi vim ac nervos ab eloquentiâ duxerit; diversa tamen inter ambas sorores lineamenta, dissimilemque vultum deprehendas. Eloquentia quidem severior ac modestior, lascivior poësis ac juvenili quâdam licentiâ effervescens : illa sobria magis et verecunda, hæc velut ebria et audaciore spiritu instincta : hæc otio, ludis, conviviis, illa negotiis magis convenit : in hac plus apparatûs atque cultûs, in illâ plus naturæ : versatur inter nubes ac procellas sublimi volatu Poësis, ad alta quoque eloquentia erigitur, sed ita nunquam ut ex hominum conspectu evolet : utraque fulmina pertractat, sed Poësis fere ut cum eis colludat, eloquentia ut contorqueat : altera, quod majus est, cum diis, altera, quod opportunius, cum hominibus collo-

quitur. Poësis, imitatrix naturæ, ope Rhythmi vividam rerum imaginem oculis legentium subjicit, auresque suavissimo cantu demulcet; variis digressionibus splendidissimisque fictionibus rapit, movet, recreat animos; divinæ originis memor, spernit vulgarem loquendi modum, a quo reliquis artibus rarius recedere licet, verbaque transferens a propriâ ad impropriam significationem, duas simul exhibet imagines affinitate quâdam unitas; schematibus et figuris audacissimis simul ac jucundissimis utitur; appositionibus quam aptissimis nomina illustrat; omnis generis tandem amplificationibus stylum suum auget, extendit, nobilitat.

Totum hunc de elocutione poëticâ tractatum absolvemus octo capitibus, totidem enim sunt fontes styli poëtici. Agemus 1° de Numero erudito, seu Harmoniâ imitante; 2° de Idiotismis Poëtarum ex figuratâ syntaxi; 3° de vocum mutationibus per tropicam translationem; 4° de aliis nonnullis vocabulorum mutationibus poëticis; 5° de Epithetorum delectu; 6° de ornatu verborum et sententiarum per Figuras Rhetoricæ; 7° de Amplificationibus usitatioribus; 8° de Præsidiis ad stylum poëticum assequendum. Præcepta illustrabimus variis exemplis ex auctoribus probatissimis, præsertim e Virgilio, petitis.

CAPUT II.

De Numero erudito, seu Harmoniâ imitante.

Non sufficit versum, ad amussim artis metricæ compositum, nullo laborare vitio prosodiæ, cæsuras suo

loco positas, elisiones non neglectas, omnes denique pedes ita copulatos esse, ut schemati respondeant, et, stricte loquendo, nihil videatur redarguendum. Qui hæc præstitit omnia, diligentis versificatoris, non egregii poëtæ nomen sibi vindicet; vitavit culpam, non laudem meruit. Necesse est præterea, ut omnia concordibus numeris aptet, ut sono, aptâ verborum facie, et quæsito carminis ore imitetur quæcunque canit; ut in lætitiâ, alacritate, festinatione versus per dactylos ruat; in dolore, luctu, molestiâ tardus ac spondeorum mole gravis procedat; horrorem, asperitatem litteris fragosis, mollitiem et dulcedinem litteris liquidis exprimat; ut nunc fervens sine molimine decurrat, nunc interruptus paulatim subsidat, etc. Hæc versuum concinnitas appellatur *Numerus eruditus*, quem clarissimi vates non tam studio et industriâ, quam instinctu quodam divino et naturâ quasi duce assecuti sunt. Præsul Cremonensis, H. Vida, numeri eruditi rationem versibus numerosissimis sic explicat libro tertio institutionum poëticarum :

Nam diversa opus est veluti dare versibus ora,
Diversosque habitus, ne qualis primus et alter,
Talis et inde alter, vultuque incedat eodem.
Hic melior motuque pedum, et pernicibus alis
Molle viam tacito lapsu per levia radit (1).
Ille autem membris ac mole ignavius ingens
Incedit tardo molimine subsidendo (2).
Ecce aliquis subit egregio pulcherrimus ore,
Cui lætum membris Venus omnibus afflat honorem (3).

(1) Numerus facilis et expeditus.
(2) Gravis et spondeorum pondere impeditus.
(3) Mollis et lætus.

Contra alius rudis informes ostendit et artus,
Hirsutamque supercilium, ac caudam sinuosam (4),
Ingratus visu, sonitu illætabilis ipso.
Nec vero hæ sine lege datæ, sine mente figuræ,
Sed facies sua pro meritis, habitusque, sonusque
Cunctis, cuique suus, vocum discrimine certo.
Ergo ubi jam nautæ spumas salis ære ruentes
Incubuêre mari, videas spumare reductis
Convulsum remis rostrisque tridentibus æquor (5):
Tunc longe sale saxa sonant, tunc et freta ventis
Incipiunt agitata tumescere, littore fluctus
Illidunt rauco, atque refracta remurmurat unda (6)
Ad scopulos, cumulo insequitur præruptus aquæ mons (7).
Cum vero ex alto speculatus cærula Nereus
Leniit in morem stagni, placidæque paludis (8),
Labitur uncta vadis abies, natat uncta carina (9).
Tum, si læta canunt, hilari quoque carmina vultu
Incedunt, lætumque sonant haud segnia vultu;
Seu cum vere novo rident prata humida, seu cum
Panditur interea domus omnipotentis Olympi (10).
Contra autem se se tristes inamabile carmen
Induit in vultus, si forte invisa volucris
Nocte sedens serum canit importuna per umbras,
Ut quondam in bustis, aut culminibus desertis (11).
Verba etiam res exiguas angusta sequuntur,

(4) Hirsutus et amplus, miræ elegantiæ depositio.

(5) Numerosa repetitio litteræ R.

(6) Numerus asper, mugiens et tumidus.

(7) Apta depositio per vocem monosyllabam.

(8) Voces jucundæ et sedatæ.

(9) Dactyli eximiæ liquiditatis.

(10) Versus faciles et rotundi.

(11) Numerus lugubris, apta repetitio litterarum M et U, flebilis depositio per Dispondeum.

Ingentesque juvant ingentia : cuncta gigantem
Vasta decent, vultus immanes, pectora lata,
Et magni membrorum artus, magna ossa, lacertique (12).
At mora si fuerit damno, properare jubebo :
Si se forte cavâ extulerit mala vipera terrâ,
Tolle moras, cape saxa manu, cape robora pastor,
Ferte citi flammas, date tela, repellite pestem (13).
Ipse etiam versus ruat, in præcepsque feratur,
Immenso cum præcipitans ruit Oceano nox,
Aut cum perculsus graviter procumbit humi bos (14).
Cumque etiam requies rebus datur, || ipsa quoque ultro
Carmina paulisper cursu cessare videbis
In medio interrupta. | Quierunt cum freta ponti (15),
Postquam auræ posuere, | quiescere protinus ipsum
Cernere erit, mediisque inceptis sistere versum.
Quid dicam, senior cum telum imbelle, | sine ictu (16),
Invalidus jacit, || et defectis viribus æger (17)?
Nam quoque tum versus segni pariter pede languet (18).
Fortem autem juvenem deceat prorumpere in arces,
Evertisse domos, perfractaque || quadrupedantum
Pectora pectoribus perrumpere, || sternere turres
Ingentes, totoque ferum dare || funera campo (19).

(12) Verba ponderosa, elisiones grandes, versus hypermeter ultra mensuram procurrens.

(13) Verba exigua et properantia, egregiæ cæsuræ, ferventes dactyli.

(14) Depositiones monosyllabæ elegantissimæ.

(15) Pro ut fert rei natura, numeri interruptio vel longior || est vel brevior; | illam vocant numerum concisum, hanc vero numerum suspensum.

(16) Languentes elisiones.

(17) Defectus cæsurarum optime significans defectum virium.

(18) Cæsura in quinto pede et subsequens Pyrrhichius multum habent elegantiæ.

(19) Litteræ asperæ et voces tumultuosæ.

Quod Vida præcipit, quantâ dexteritate exequitur! Eam numerorum temperantiam non inveni uspiam nisi in carminibus Homeri et Virgilii. Homero numeros tradidisse videtur natura, quæ, quid sola efficere posset, in hoc divino vate experimentum cepit; Virgilius, et felici genio, et arte, et studio, non minorem hac in re laudem consecutus est. Qui successerunt longe inferiores sunt duobus illis principibus Parnassi.

Exempla Numeri eruditi ex Homero.

Quoties Homerus describit rem gratam et aspectu jucundam, utitur Rhythmo litterisque dulcissimis. Talis est hæc descriptio Penelopes e thalamo prodeuntis in cœtum procorum :

Ἡ δ' ἴεν ἐκ θαλάμοιο περίφρων Πηνελόπεια,
Ἀρτέμιδι ἰκέλη, ἠὲ χρυσέῃ Ἀφροδίτῃ. OD.

Item descriptio proceræ lauri prope aram Apollinis in insulâ Delo :

Δήλῳ δήποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ
Φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα. OD.

Nihil quoque suavius quam versus sequentes, quibus melle fluentem Nestoris eloquentiam celebrat :

..................τοῖσι δὲ Νέστωρ
Ἡδυεπὴς ἀνόρουσε, λιγὺς Πυλίων ἀγορητής,
Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή. IL.

In sequentibus auditur strepitus fluctuum elisorum ad littus :

Ῥόχθει γὰρ μέγα κῦμα, ποτὶ ξερὸν ἠπείροιο.
Βῆ δ' ἀκέων παρὰ θῖνα πολυφλοίσβοιο θαλάσσης. IL.

Clangor armorum Apollinis de cœlo descendentis :

Ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο
Αὐτοῦ κινηθέντος· ὁ δ' ἤϊε νυκτὶ ἐοικώς. Il.

Et aquilæ per aëra volantis :

Αὐτὸς δὲ κλάγξας πέτετο πνοιῇς ἀνέμοιο. Il.

Numerus sequentium aptissime refert mortem sociorum Ulyssis, quos in antro deprehensos ad terram elidit Polyphemus; audis ossa confracta, et aspicis sólum cruore manans :

Σὺν δὲ δύω μάρψας, ὥστε σκύλακας, ποτὶ γαίῃ
Κόπτ'· ἐκ δ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέε, δεῦε δὲ γαῖαν. Od.

Quantumvis perfecta videatur hæc descriptio, imitatio Virgilii certe non inferior est :

Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro
Prensa manu magnâ, medio resupinus in antro,
Frangeret ad saxum, sanieque aspersa natarent
Limina : vidi, atro cum membra fluentia tabo
Manderet, et trepidi tremerent sub dentibus artus.

Quis non admiretur strepitum ventorum dilacerantium vela schediæ, quâ vehebatur Ulysses?

.... ἱστία δέ σφιν
Τριχθά τε καὶ τετραχθὰ διέσχισεν ἲς ἀνέμοιο. Od.

Minus numerosa est imitatio Maronis libro 1 Æneïdos :

.... Stridens aquilone procella
Velum adversa ferit.

Numerosissima quoque est hæc descriptio tempestatis a Neptuno in Ulyssem concitatæ :

...... σύναγεν νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον,

Χερσὶ τρίαιναν ἑλών· πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας
Παντοίων ἀνέμων· σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε
Γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον· ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ. Od.

Duas posteriores phrases hujus descriptionis egregie in latinum Maro transtulit :

Involvens umbrâ magnâ terramque polumque.
Immenso cum præcipitans ruit oceano nox.

Ad depingendas res duras, ingratas et tumultuosas passim utitur syllabis asperis ac pronuntiatu difficilibus, ut in sequentibus exemplis :

Σμερδαλέος δ' αὐτῇσι φάνη κεκακωμένος ἅλμῃ. Od.
Τῇ δ' ἐπὶ μὲν Γοργὼ βλοσυρῶπις ἐστεφάνωτο
Δεινὸν δερκομένη, περὶ δὲ Δεῖμός τε Φόβος τε. Il.
Ὡς δ' ὅτε χείμαῤῥοι ποταμοὶ κατ' ὄρεσφι ῥέοντες
Ἐς μισγάγκειαν συμβάλλετον ὄμβριμον ὕδωρ.

Res lætas et properantes imitatur frequentibus dactylis alioque numeri eruditi artificio, ut in hâc descriptione equorum Æneæ :

Αἱ δ' ὅτε μὲν σκιρτῷεν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν,
Ἄκρον ἐπ' ἀνθερίκων καρπὸν θέον, οὐδὲ κατέκλων.
Ἀλλ' ὅτε δὴ σκιρτῷεν ἐπ' εὐρέα νῶτα θαλάσσης,
Ἄκρον ἐπὶ ῥηγμῖνος ἁλὸς πολιοῖο θέεσκον. Il.

Eximia et tanto nomine haud indigna est imitatio Virgilii celebrantis velocitatem Camillæ :

Illa vel intactæ segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas.

Idem Homerus narrans luctam Achillis cum fluc-

tibus Xanthi, elegantissime numeros suspendit et concidit :

Δεινὸν δ' ἀμφ' Ἀχιλῆα | κυκώμενον || ἵστατο κῦμα.
Ὤθει δ' ἐν σακέϊ πίπτων ῥόος, || οὐδὲ πόδεσσιν
Εἶχε στηρίζεσθαι. Od.

Non minus eleganter suspensis ac concisis numeris refert quantâ fluctuum vi de schediâ excussus sit Ulysses :

Τῆλε δ' ἀπὸ σχεδίης αὐτὸς πέσε, || πηδάλιον δὲ
Ἐκ χειρῶν προέηκε· | μέσον δὲ οἱ ἱστὸν ἔαξε
Δεινὴ μισγομένων ἀνέμων ἐλθοῦσα θύελλα. Od.

Virgilius, lib. 1. Æn., felicissime imitatus est illud artificium :

.... Ingens a vertice pontus
In puppim ferit : || excutitur, pronusque magister
Volvitur in caput. || Ast illam ter fluctus ibidem, etc.

Omnium autem descriptionum Homericarum numerosissima mihi videtur hæc Sisyphi saxum fatale in Tartaro volventis. Illius ineffabilem gratiam ita sensit Maro, ut ne ausus quidem fuerit eam imitari :

Καὶ μὴν Σίσυφον εἰσεῖδον, κρατέρ' ἄλγε' ἔχοντα
Λᾶαν βαστάζοντα πελώριον || ἀμφοτέρῃσιν·
Ἤτοι ὁ μὲν σκηριπτόμενος χερσίν τε ποσίν τε
Λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον· || ἀλλ' ὅτε μέλλοι
Ἄκρον ὑπερβαλέειν, τοτ' ἀποστρέψασκε κραταιΐς
Αὖτις, | ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής.
Αὐτὰρ ὅγ' ἂψ ὤσασκε | τιταινόμενος· κατὰ δ' ἱδρὼς
Ἔῤῥεεν ἐκ μελέων, κονίη δ' ἐκ κρατὸς ὀρώρει. Od.

Quantum pondus in verbis λᾶαν βαστάζοντα πελώριον

ἀμφοτέρῃσιν! Quis non videat immensum miseri laborem in his σκηριπτόμενος χερσίν τε ποσίν τε? Quam apte conciditur numerus in ποτὶ λόφον! Quam apte suspenditur in αὖτις et ὤσασκε! Quantus tumultus in αὖτις ἔπειτα πέδονδε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής! Lucretius, qui numeros græcorum primus transtulit in latinam poësim, non absque successu illam Sisyphi descriptionem imitatus est; at quantum distat!

.... Adverso nixantem trudere monte
Saxum; quod tamen a summo jam vertice rursum
Volvitur, || et plani subito petit æquora campi.

Non spernenda quoque videtur hæc imitatio gallica :

Mes yeux virent Sisyphe, et cette énorme pierre,
Qu'avec de longs efforts il roulait sur la terre;
Son corps demi penché, ses bras forts et nerveux
Poussaient au haut du mont ce rocher raboteux.
Il allait l'y porter; mais la roche obstinée
S'échappait, et soudain vers l'abîme entraînée,
Dans le fond du vallon roulait en bondissant.

ROCHEFORT.

Proxime vero ad exemplar græcum accedit hæc versio germanica Henrici Voss :

Auch den Sisyphus sah ich, von schrecklicher Muehe gefoltert,
Einen schweren Marmor | mit grosser Gewalt fortheben.
Angestemmt arbeitet er stark, mit Haenden und Fuessen,
Ihn von der Au aufwelzend zum Berge. | Doch glaubt er ihn jezo
Auf dem Gipfel zu drehn : da mit einmahl stuerzte die Last um;
Hurtig mit Donnergepolter entrollte der tueckische Marmor.

Exempla Numeri eruditi e Virgilio.

Si Homerum superare datum esset homini, hâc vir-

tute superatum a Virgilio fateremur; ea enim est Virgilianorum carminum dulcedo, ea varietas, gratia ac majestas, ut major numerorum perfectio vix cogitari possit.

Qualitas litterarum. Quando sævitiem aut asperitatem significare cupit, mirâ arte conglomerat litteram R, aliosque sonos frementes. Ex. gr.

.... (Mars) fremet horridus ore cruento. 1 Æ.
Dirum exsecrantur bellum..... 11 Æ.
Ergo ægre terram rastris rimantur. 3 G.
Tum ferri rigor, atque argutæ lamina serræ. 1 G.
Hinc exaudiri gemitus, et sæva sonare
Verbera; tum stridor ferri, tractæque catenæ. 6 Æ.

Res atras, luctuosas et terribiles exprimit crebro repetitis M et U, quæ litteræ mutum quemdam ac lugubrem sonum edunt. Ex. gr.

Continuo ventis surgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumescere; et aridus altis
Montibus audiri fragor, aut resonantia longe
Littora misceri, et nemorum increbrescere murmur. 1 G.
Au premier sifflement des vents impétueux,
Tantôt au haut des monts d'un bruit tumultueux
On entend les éclats; tantôt les mers profondes
Soulèvent en grondant et balancent leurs ondes :
Tantôt court sur la plage un long mugissement,
Et les noires forêts murmurent sourdement. DELILLE.
..... Femineïs ululant clamoribus ædes. 2 Æ.
.... Gemitu nemus omne remugit. 12 Æ.

Observa litteram U eodem sono prolatam fuisse a Romanis, quo nunc profertur ab Italis et Germanis, seu quo diphtongus *oe* pronuntiatur a Belgis.

Ad significandam mansuetudinem et lenitatem, seligit voces, quæ, multis vocalibus constantes, exiguo numero litterarum plures efficiant syllabas, et quarum consonantes nihil habeant asperitatis; tunc etiam utitur cæsuris grate suspensis, vitatque elisiones confragosas. Ex. gr.

Mollia luteolâ pingit vaccinia calthâ.
Pro molli violâ, pro purpureo Narcisso. 5 Æ.
Devenere locos lætos et amœna vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas. 6 Æ.
Labitur (Camilla) exsanguis, labuntur frigida letho
Lumina, purpureus quondam color ora relinquit. 11 Æ.

Quantitas verborum. Rerum magnitudinem indicat vocibus grandibus. Ex. gr.

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum. 3 Æ.
Luctantes ventos, tempestatesque sonoras. 1 Æ.
Et caligantem nigrâ formidine lucum. 4 G.

Rerum impetum vel tenuitatem exprimit verbis brevibus et interruptis. Ex. gr.

.... Hæret pede pes, densusque viro vir. 10 Æ.
Quà data porta ruunt, et terras turbine perflant. 1 Æ.

Quantitas metrica pedum. Tristitia, labor difficilis, tarditas, silentium, horror, solitudo requirunt spondeos. In sequentibus exemplis id egregie præstitit Virgilius:

Afflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici. 2 Æ.
Illi alternantes magnâ vi prælia miscent.
Illi inter se se magnâ vi brachia tollunt. 8 Æ.
Stabant orantes primi transmittere cursum. 6 Æ.
Agricola incurvo terram molitus aratro

Exesa inveniet scabrâ rubigine tela. 1 G.
.... Conctæque profundum
Pontum aspectabant flentes. 5 Æ.
.... Sub nocte silenti
Lenibant curas, et corda oblita laborum. 4 Æ.
Oll: sedato respondet corde Latinus. 12 Æ.

Quemadmodum spondei optime conveniunt rebus tristibus et tardis, ita Dactyli conveniunt exultationi, festinationi aliisque ejusmodi motibus. Quid ad festinationem imperandam ardentius hoc?

Ferte citi flammas, date tela, scandite muros. 9 Æ.

Quam egregie saltantium Satyrorum et equorum currentium sonus exprimitur in his :

Saltantes Satyros imitabitur Alphesibœus. 5 Æ.
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum. 8 Æ.

Quid ardori bellico aptius quam versus sequentes?

Inde ubi clara dedit sonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, prosiluere suis : ferit æthera clamor
Nauticus; adductis, etc. 5 Æn.

Quis non admiretur strepitum grandinis in hoc versu, ubi, præter Dactylos, dominantur litteræ crepitantes D et T?

Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando. 1 G.

Hominum in Circo decurrendi laude certantium, cursusque ineundi festinationem, metum amittendæ palmæ, alternas vices currus agentium, miro plane artificio imitantur sequentes :

.... Cum præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi carcere currus.

Cum spes arrectæ juvenum, exultantiaque haurit
Corda pavor pulsans; illi instant verbere torto,
Et proni dant lora : volat vi fervidus axis.
Jamque humiles, jamque elati sublime videntur
Aera per vacuum ferri, atque assurgere in auras. 3 G.

Suspensio et concisio numerorum. Multis variisque modis numeros, suspendere aut concidere solet Virgilius, quando rerum interruptio postulat ut vox legentis paulisper quiescat. Artificium hoc sine multo labore deprehendes in sequentibus exemplis :

. . . . Et frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, | neque audit currus habenas. 1 G.
Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus
Velle videmur, | et in mediis conatibus ægri Succidimus. 12 Æ.
Hæc ubi dicta, | cavum conversâ cuspide montem
Impulit in latus. || At venti velut agmine facto, etc. 1 Æ.
Tali remigio navis se tarda movebat;
Vela facit tamen, || et velis subit ostia plenis. 5 Æ.
Paulatim exsolvit se corpore, lentaque colla
Et captum letho posuit caput, || arma relinquens. 11 Æ.

In primo allatorum exemplorum vides aurigam frustra retinacula prementem, et impetu equorum abreptum; miræ elegantiæ suspensio est in secundo exemplo, ubi conatus extendendi cursum sistitur cum verbis *velle videmur;* in tertio post *impulit in latus,* pausa habetur expectationis plena; in quarto cernimus navem ita tarde motam, ut plenis vix impelli possit velis; in quinto versus labitur cum sensu et diffluit catalexis. Ultimum hunc versum belle imitatus est Vida narrans mortem Salvatoris : *extremamque auram, ponens caput,* || *expiravit.*

Junctura verborum. Innumeris modis jungi solent verba ad efficiendam phrasim. De constructione syntacticâ hîc non agitur, sed de illâ verborum dispositione, quæ numerum reddit eruditiorem et sententiæ vim auget. Vix tamen crediderim optimos auctores in jungendis verbis arti paruisse, ast potius, sensu quodam tacito naturæ pulchrique, rectum ordinem assecutos esse. Unum hoc adnotare liceat: cum fere nulla sit sententia, in quâ non emineat vocabulum quoddam, collocetur illud initio vel haud procul ab initio. Si vero vocabulum illud imaginem perficit, ponatur in fine, ut lectoris animo altius infigatur. Posterior hic ordo præsertim placuit Poëtis, ut passim videre est apud Virgilium.

Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro
Prensa manu *magnâ.* 3 Æ.
Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens. 3 Æ.
Et mediis properas aquilonibus ire per altum
Crudelis! 4 Æ.
. . . . . Tumidusque novo præcordia regno
Ibat. 9 Æ.

Quomodo per cæsuras, hiatus, elisiones, depositiones spondaïcas et monosyllabas numerosiora reddi possint carmina, dictum est cap. 2, § 1, partis Rhythmicæ.

CAPUT III.

De Idiotismis poëtarum ex Figuratâ Syntaxi.

Poëtæ, sicut jam diximus, peculiare quoddam et a communi sermone remotum genus loquendi sibi vindicant. Id enim sibi proponunt, ut admirationem excitent, magnosque sensus animis ingerant. Quapropter a grammaticis linguarum legibus recedentes, utuntur novo quodam aliisque artibus inusitato fandi more; vocabulis, ut suavi tenore fluant, detrahunt vel addunt quasdam litteras, integras quin immo syllabas; composita resolvunt; constructionem, ordinem ac verborum concordantiam intervertunt; obsoleta renovant; nova fingunt, Græcorumque loquendi morem in latinum sermonem transferunt. Ejusmodi dictiones, quod propriæ sunt elocutioni poëticæ, appellantur *Idiotismi poëtarum*; vocantur etiam *Figuræ syntaxeos*, ad eas distinguendas a figuris Rhetoricæ, de quarum usu et ratione infra dicturi sumus capite 6°.

Idiotismi poëtarum ex figuratâ syntaxi vulgo numerantur septemdecim, videlicet: Aphæresis, Syncope, Apocope, Synæresis, Epenthesis, Diæresis, Diplasiasmus, Tmesis, Eclipsis, Enallage, Hypallage, Syllepsis, Hyperbaton, Hysterologia, Archaïsmus, Neologismus, et Hellenismus.

Id vero ante omnia observandum est, ut Idiotismis magnâ cum prudentiâ et sobrie utaris, ac tum præcipue cum tibi favet optimorum poëtarum auctoritas; abusus

enim Idiotismorum redderet stylum barbarum et, ut ita dicam, ænigmaticum.

Brevitatis studio omittemus exempla græca.

I. *Aphæresis*, derivata a verbo græco ἀφαιρέω i. e. aufero, est figura syntaxeos, per quam initio alicujus vocabuli littera vel syllaba detrahitur; ut, cum dicimus *linquere*, *temnere*, *mittere*, pro, *relinquere*, *contemnere*, *omittere*. Ex. gr.

.... Simul his dictis linquebat habenas. VIRG.
Jejunus raro stomachus vulgaria temnit. HOR.
Mitte leves spes et certamina divitiarum. *Id.*

II. *Syncope*, a συγκόπτω, concido, abscidit aliquid mediæ voci; ut: *repostum*, *abstraxe*, *scibant*, *apisci*, *pœnibat*, pro, *repositum*, *abstraxisse*, *sciebant*, *adipisci*, *pœnitebat*. Ex. gr.

Deterere interdum licet, atque abstraxe secando
Exiguam partem, et sic strinxe fluentia membra. VIDA.
.... Manet altâ mente repostum
Judicium Paridis. VIRG.
Moribus inter se scibant, nec legibus uti (primi homines). LUCR.
Cumque aliquid cupiens animus prægestit apisci. CAT.
Pœnibat paulo post turpi morte malâque
Desertos. LUCR.

III. *Apocope*, ab ἀποκόπτω, abscindo, in fine vocabuli aliquid absecat; ut: *mortalin'*, *falcibu'*, *famul'*, pro, *mortaline*, *falcibus*, *famulus*. Ex. gr.

Mortalin' decuit violari vulnere divum? VIRG.
Arboribus veteres decidere falcibu' ramos. LUCR.
Ossa dedit terræ proinde ac famul' esset. *Id.*

IV. *Synæresis*, a συναιρέω, contraho, ex duabus

syllabis per contractionem unam efficit; ut : *pecult*, *nīlum*, *aureā* (dissyl.), *proīnde* (dissyl.), *remedī*, pro, *peculii*, *nihilum*, *aurea*, *proïnde*, *remedii*. Ex. gr.

Nec spes libertatis erat, nec cura peculī. VIRG.
Ne tibi res redeant ad nīlum funditus omnes. LUCR.
Aureâ composuit spondâ, mediamque locavit. VIRG.
Proīnde quasi ignotas facies atque ora tuentur. LUCR.
Nec ratio remedî communis certa dabatur. *Id.*

V. *Epenthesis*, ab ἐπεντίθημι, addo, præstat contrarium præcedentibus Idiotismis, addit enim syllabam vocabulo; ut : *cinctutis*, *mirarier*, *induperatores*, *indugredi*, pro, *cinctis*, *mirari*, *imperatores*, *ingredi*. Ex. gr.

Fingere cinctutis non exaudita Cethegis
Continget, dabiturque licentia sumpta pudenter. HOR.
Non erat ut fieri posset mirarier unquam. DUGR.
Induperatores pugnare et prælia obire. LUCR.
.... Licet tua, sancta vetustas
Vatibus indugredi sacraria. VIDA.

VI. *Diæresis*, a διαιρέω, protraho, nihil voci addens, syllabam in duas protrahit, mutando litteram consonantem in litteram vocalem; ut : *siluæ*, *Iudas* (trissyl.), *dissoluenda*, pro, *silvæ*, *Judas* (dissyl.), *dissolvenda*; Ex. gr.

Nunc mare, nunc sīlŭæ
Threïcio aquilone sonant. HOR.
..... Hortator scelerisque inventor Iūdās. VIDA.
Stamina non ulli dīssŏlŭēndă deo. TIB.

VII. *Diplasiasmus*, a διπλασιάζω, reduplico, producit syllabam brevem, geminando litteram consonantem;

ut : *relligione, quattuor, redducunt*, pro, *religione, quatuor, reducunt*. Ex. gr.

Et populum antiquâ sub relligione tueri. VIRG.
Quattuor eximios præstanti corpore tauros. *Id.*
Mittunt et crebras redducunt naribus auras. LUCR.

VIII. *Tmesis*, a τέμνω, seco, fut. τμήσω, vocem compositam, aliis interpositis, in sua membra resolvit; ut : *collo dare brachia circum*, pro, *brachia collo circumdare; hac celebrata tenus*, pro, *hactenus celebrata*. Ex. gr.

Et terebrare etiam, ac pertundere, *per*que *forare*. LUCR.
.... Summa vaporant
Fulminibus, *quæ* sunt aliis magis edita *cunque*. *Id.*
.... Partes composita in ambas
Verba interpositis proscindere (licet), *se* que *parare*. VIDA.

IX. *Eclipsis*, ab ἐκλείπω, omitto, est defectus unius pluriumve vocabulorum ad plenam orationem faciendam. Differt autem ab Aposiopesi rhetoricâ, in eo, quod hæc institutam phrasim de industriâ interrumpit, ut omissa majori cum voluptate a lectore subintelligantur; Eclipsis vero syntaxeos quædam verba resecat, ut sententia vividius fluat. Exempla Eclipsis syntaxeos :

Turpe (1) vir et mulier juncti modo, protinus hostes. OV.
Sed vos qui tandem (2)? quibus aut venistis ab oris? VIRG.
Quo te Mœri pedes (3)? An quò via ducit in urbem? *Id.*
.... Genus unde (4) latinum,
Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ. *Id.*

Subauditur (1) negotium. (2) Estis. (3) Ferunt vel ducunt. (4) Ortum est.

Species Eclipseos est *Appositio*, quâ plura substantiva ad eandem rem pertinentia, in eodem casu, sine ullâ conjunctione, ponuntur, subintelligendo pronomen relativum cum verbo substantivo *sum*. Ex. gr.

Construimus luteas, vilia tecta, domos. SALUT.

Id est, construimus luteas domos, quæ sunt vilia tecta.

X. *Enallage*, ab ἐναλλάσσω, immuto, aor. 2. ἐνήλλαγον, legitimæ constructionis regulas perturbat. Ex. gr.

.... Vix audior *ulli*. (1). VIRG.
.... Et nî mea cura resistat (2),
Jam flammæ tulerint (3), inimicus et hauserit (4) ensis. VIRG.

(1) Ab ullo. (2) Resisteret. (3) Tulissent. (4) Hausisset.

Hujus Idiotismi plures sunt modi, quorum observatu dignissimos capite 5° explicabimus. Huc quoque referri potest

XI. *Hypallage*, seu mutua casuum permutatio. Ex. gr.

Ibant obscuri (1) solâ (2) sub nocte per umbram. VIRG.
Et jacit invitâ (3) fulmina rara manu. OV.

(1) Obscurâ. (2) Soli. (3) Invitus. Idiotismus hic elegantissima sæpe suppeditat epitheta.

XII. *Syllepsis*, a συλλαμβάνω, comprehendo, fut. συλλήψω, intervertit concordantiam prædicati cum suo subjecto, quia aliud, quam quod usurpaverat, subjectum scribentis animo obversabatur. Ex. gr.

...... Daret ut catenis
Fatale monstrum, quæ generosius
Perire cupiens, non muliebriter etc. HOR.

Dixit, *fatale monstrum, quæ*, quod per monstrum intelligebat Cleopatram.

Species syllepseos est *zeugma*, cum nempe idem verbum aut nomen refertur ad duas res, quarum uni tantum conveniat; ut, si quis de Cæsare dicat, *illum prudenter et pacem et bellum gessisse*. Hic ultimus Idiotismus non tam figura quam prætextus videtur, quo excusentur lapsus et imprudentiæ auctorum.

XIII. *Hyperbaton*, ab ὑπερβαίνω, transgredior, intervertit ordinem verborum præter Grammatices rationem. Ex. gr.

> Saxa vocant Itali, mediis quæ in fluctibus, aras. VIRG.

Id est, saxa illa, quæ mediis fluctibus eminent, Itali vocant aras. Fit quoque Hyperbaton, cum præpositiones regimini suo postponuntur. Ex. gr.

> Et manibus sine nonnulli pedibusque manebant. LUCR.
> Exanimis pueris super exanimata parentum
> Corpora nonnunquam posses, retroque videre. *Id.*

Figura hæc optime convenit magniloquentiæ lyricæ, adhibeatur autem cum modo et judicio.

XIV. *Hysterologia*, ab ὕστερον, posterius et λέγω, dico, primo loco usurpat quæ posteriore erant collocanda, et vice versâ. Maxime accommodata est vividis animi motibus. Ex. gr.

> Concessit mœsta (anima) ad Manes, corpusque reliquit. VIRG.

Sic quoque Æneas, cum captam videret urbem Trojam, socios ad vindicandam patriam adhortatus est :

> Moriamur, et in media arma ruamus. VIRG.

XV. *Archaïsmus*, ab ἀρχαῖος, antiquus, renovat voces, priscis quidem usitatas, at temporis successu obsoletas. Clarissimus Vida de recto hujus figuræ usu sequentia præcipit, regulam tradens simul et exemplum:

.... Sæpius olli (1)
Ætatis gaudent insignibus antiquaï (2),
Et veterum ornatus induti incedere avorum.
Non tamen ille veter (3) squalor fuat (4) undique; et ater
Verborum situs. His modus adsit denique quando
Copia non defit (5), quorum nunc pervius usus.

Abusus archaïsmorum sedulo vitandus est, ne stylus evadat horridus et atro situ squalens. Ipse Sallustius, cæteroquin eximius auctor, criticorum reprehensionem, ob affectatos nimium archaïsmos, non effugit.

XVI. *Neologismus* fingit rerum nuper inventarum nomina priscis inexaudita. Ita Tullius multa, quibus eo tempore carebant Romani, e Græcis Latina fecit; ita, teste Horatio, Ennius et Cato Censor sermonem patrium ditavere :

Nos etiam quædam iccirco nova condere, nulla
Relligio vetat, indictasque effundere voces. VIDA.

Verum id rarissime conceditur, quia lingua latina, jam dudum, ut ajunt, mortua, statutis undique finibus velut circumsepta est. At, si nova quædam audes prodere, penuriâ coactus,

Ne penitus fuerint ignota, suumque
Agnoscant genus, et cognatam ostendere gentem
Possint, ac stirpis nitantur origine certæ. VIDA.

(1) Illi, sc. poëtæ. (2) Antiquæ. (3) Vetus. (4) Sit. (5) Deest.

Sæpius tamen licet fingere novum aliquod nomen compositum, cujus utraque pars, si separatim spectetur, in usu sit. Major adhuc dabitur licentia, si ex græco fonte hauriantur istiusmodi vocabulorum compositiones. Neologismi non necessarii deformant stylum, quapropter cavendum est, ne temere adhibeantur.

XVII. *Hellenismus*, ab ἑλληνίζω, græce loquor, regulas græcæ syntaxeos in latinâ phrasi observat. Figura hæc valde familiaris est poëtis latinis, atque, si suo loco ponatur, non leve ornamentum elocutionis poëticæ, quam splendidiorem reddit et abundantiorem. Hellenismus est cum nominativus per attractionem usurpatur pro accusativo casu, aut contra accusativus pro nominativo. Ex. gr.

.... Sensit medios *delapsus* (1) in hostes. VIRG.
...... Postquam destertuit esse... *Mæonides* (2). PERS.
Ego *te* (3) faciam ut sis miser. PLAUT.
Quo leto censes *me* (4) ut peream potissimum *Id.*

Cum ablativus casus in genitivum mutatur. Ex. gr.

Desine *mollium* tandem *querelarum*. HOR.
Nunc quæ causa deûm per magnas numina gentes
Pervolgarit, et *ararum* compleverit urbes. LUCR.

Cum accusativus locum ablativi occupat. Ex. gr.

Stare loco nescit, micat auribus, et tremit *artus*. VIRG.
Omnia Mercurio similis, *vocemque*, *coloremque*. *Id.*
.... Animæ, *quales* neque candidiores
Terra tulit. HOR.

(1) Se delapsum esse. (2) Somniare desiit se esse Mæonidem, i. e. Homerum. (3) Faciam ut tu. (4) Censes ut ego.

Cum denique modus infinitivus ponitur pro gerundiis aut supinis, quibus Græci carent. Ex. gr. *Fruges consumere nati*, pro, *ad fruges consumendum, vel consumendas; liber dignus legi*, pro, *dignus lectu*:

> Audax omnia *perpeti*
> Gens humana ruit per vetitum nefas. HOR.

pro, audax ad omnia perpetienda.

CAPUT IV.

De vocum mutationibus per tropicam translationem.

Tropus, a græco τρέπω, verto, est vocabuli translatio a significatione propriâ ad impropriam ob aliquam relationem inter utramque significationem. Sic *fasces*, quæ proprie significant fasciculum virgarum, quem lictores præferre solebant Consulibus, improprie, seu tropice, exprimunt ipsam dignitatem consularem : sic quoque *Neptunus*, deus maris, pro ipso mari; *ferrum*, ex quo gladii parantur, pro ipso gladio; *orator*, pro Cicerone, eloquentiæ romanæ principe, usurpantur.

Translationes tropicæ plurimum conferunt ad dignitatem et splendorem styli poëtici. Necessitas, linguarum angustiis coacta, genuit illas, post autem delectatio jucunditasque celebravit; ut vestis frigoris depellendi causâ primum reperta, deïnde ad ornatum corporis etiam adhiberi cœpta est. Troporum vim et originem fuse explicat Vida, lib. 3 artis poëticæ, quem librum merito dicas Musarum esse manibus atque industriâ

compositum, quemque Scaliger *regem librorum Vidæ* nuncupat:

Nonne vides, verbis ut veris sæpe relictis,
Accersant simulata, aliundeque nomina porro
Transportent, aptentque aliis ea rebus, ut ipsæ
Exuviasque novas, res, insolitosque colores
Indutæ, sæpe externi mirentur amictus
Unde illi, lætæque alienâ luce fruantur,
Mutatoque habitu nec jam sua nomina mallent.
Hanc vulgo speciem propriæ penuria vocis
Intulit, indictisque urgens in rebus egestas.
Quippe ubi se vera ostendebant nomina nusquam,
Fas erat hinc atque hinc transferre simillima veris.
Paulatim accrevere artes hominumque libido,
Quodque olim usus inops reperit, nunc ipsa voluptas
Postulat, hunc addens verborum rebus honorem.

Quamquam omnes fere artes scientiæque tropicis locutionibus gaudent, jus tamen quoddam peculiare in illas sibi vindicant poëtæ, ac frequentius quam reliqui auctores illis utuntur:

Nempe pedum hi duris cohibentur legibus, et se
Sponte suâ spatiis angusti temporis arctant.
Liberius (igitur) fas campum illis decurrere apertum.

Elegantissimi inter tropos ii sunt qui, ubi non deest nomen proprium, majoris venustatis gratiâ, in alienam sedem succedunt, et qui vulgari usu nondum, ut ita dicam, attriti sunt.

Sex recensentur præcipui: Metaphora, Allegoria, Metonymia, Synecdoche, Ironia et Hyperbole.

Duces in hoc capite sequemur Ger. Vossium et Du Marsais.

§ I. *De Metaphorâ.*

Metaphora, a μεταφέρω, transfero, instituit significationis mutationem ob similitudinem quandam inter duas res. In omni igitur Metaphorâ latet quædam comparatio, quæ quasi fundamentum hujus tropi considerari debet. Judice Fabio, Metaphoræ ita naturâ concessæ sunt, ut indocti quoque et non sentientes illis frequenter utantur, atque ita jucundæ sunt et nitidæ, ut proprio lumine eluceant. Rationem addit Vida :

Nam diversa simul datur e re cernere eâdem
Multarum simulacra animos subeuntia rerum.
Ceu cum forte olim placidi liquidissima ponti
Æquora vicinâ spectat de rupe viator,
Tantum illi subjecta oculis est mobilis unda;
Ille tamen silvas, interque virentia prata
Inspiciens miratur, aquæ quæ purior humor
Cuncta refert, captosque illudit imagine visus.
Hinc etiam agricolas ea fandi nota voluptas
Exercet, dum *læta* seges, dum *trudere gemmas*
Incipiunt vites, *sitientiaque* ætheris imbrem
Prata *bibunt*, *ridentque* satis *surgentibus* agri.

Metaphora tam late patet quam ipsa natura, potestque duci a rebus animatis, inanimatis, fictis, corpore carentibus, divinis et humanis. Omnium ferme Metaphorarum elegantissimæ sunt, quæ a rebus animatis transferuntur ad sensu carentes. Sic Virgilius indignationem et terrorem fluminibus tribuit :

.... Pontem *indignatus* Araxes.
Dissultant ripæ, refluitque *exterritus* amnis.

Quem versum pulcherrime imitatus est Racinius :

Le flot qui l'apporta recule *épouvanté*.

In sequenti exemplo Virgilius, per egregias metaphoras, quercum ab agricolis succisam comparat cum animoso milite, hostium vulneribus tandem interfecto :

.... Illa (quercus securibus icta) usque *minatur,*
Et tremefacta *comam* concusso vertice nutat ;
Vulneribus donec paulatim *evicta,* supremum
Congemuit, traxitque jugis avulsa ruinam.

Placent quoque Metaphoræ ductæ a rebus inanimatis et translatæ ad animatas. Sic idem Virgilius de homine irato dicit :

.... Magnoque irarum *fluctuat* æstu.
.... Ultro implacabilis *ardet.*

Et jure : iratus enim huc illucque rapitur, sicut navis acta fluctibus, atque idem, sicut incendium, omnia circum se posita vastat.

Innumera alia exempla hujus tropi in scriptis oratorum et poëtarum invenies.

Observabis autem circa Metaphorarum usum : 1° ut eodem genere quo cœperis translationem, eodem et finias. 2° Ita verecundæ sint translationes, ut migrasse suâ sponte, non irruisse in locum alienum videantur. 3° Ducantur a rebus aliunde sat cognitis. 4° Vitabis petitas a rebus obscœnis aut sordidis, qualis est in hoc versu :

Jupiter hibernas canâ nive *conspuit* Alpes.

5° Item nimis audaces ;

Haud magis (inquit Vida) imprudens mihi erit et luminis expers,
Qui puero ingentes habitus dat ferre gigantis,

quam qui in re tenui illis luminibus orationis abutitur.

Audaciores Metaphoræ nonnunquam insertâ levi correctione mitigari poterunt. 6° Demum fuge immoderatam Metaphorarum coacervationem; quò enim res quædam jucundior, eo citius, si ultra modum profunditur, fastidium parere solet. Observationes istæ non minus allegoriam spectant quam Metaphoram.

§ 2. *De Allegoriâ.*

Allegoria, ab ἄλλο ἀγορέω, aliud dico, non differt a Metaphorâ, nisi quod similitudinem, cujus sub involucro latet verus sensus, diutius continuat : quam ob causam a multis definitur Metaphora continuata. Tropus hic, recte institutus, mirâ voluptate afficit animos : nam legens aliò ducitur cogitatione, neque tamen a recto tramite aberrat, simulque sibi gratulatur, quod latentem sensum deprehenderit. Horatius, in arte poëticâ, per elegantem Allegoriam irridet fatuum poëtam, crudelemque lectorem carminum suorum :

> Hic dum sublimes versus ructatur et errat,
> Si veluti merulis intentus decidit auceps
> In foveam puteumve; licet, succurrite, longum
> Clamet, io cives! non sit qui tollere curet.
> Si quis curet opem ferre, et dimittere funem,
> Quî scis, an prudens huc se dejecerit, atque
> Servari nolit.

Decidit in puteum foveamve, id est, in errorem contra regulas artis : *licet, io, clamet, succurrite cives;* licet obvium quemque roget, ut ipsi errores indicet : *nemo curet funem dimittere et tollere;* indicare quæ præcepta violaverit, et quâ ratione scripta emendare possit : *Quî scis an prudens se dejecerit;* an consulto

artem neglexerit, et corrigi nolit. — Legatur quoque Oda 12, lib. 1, in quâ Horatius, sub Allegoriâ navis quassatæ tempestatibus, Romanos a bello civili deterrere conatur.

Libro nono Iliadis, Phœnix eximiâ plane Allegoriâ monet Achillem, ne supplicum Græcorum preces pertinaciter respuat :

Καὶ γάρ τε Λιταί εἰσι Διὸς κοῦραι μεγάλοιο,
Χωλαί τε, ῥυσταί τε, παραβλῶπες τ' ὀφθαλμώ.
Αἵ ῥά τε καὶ μετόπισθ' Ἄτης ἀλέγουσι κιοῦσαι.
Ἡ δ' Ἄτη σθεναρή τε καὶ ἀρτίπους, οὕνεκα πάσας
Πολλὸν ὑπεκπροθέει, φθάνει δέ τε πᾶσαν ἐπ' αἶαν,
Βλάπτουσ' ἀνθρώπους· αἱ δ' ἐξακέονται ὀπίσσω.
Ὃς μέν τ' αἰδέσεται κούρας Διὸς, ἆσσον ἰούσας,
Τὸν δε μέγ' ὤνησαν, κ. τ. λ.

In Allegoriâ, ut in Metaphorâ, imprimis cavendum est, ne ab institutâ translatione recedas, priusquam ad finem illam perduxeris. Id præceptum non sat observasse videtur Horatius in Oda ad Pollionem, qui Tragœdiam de bello civili scribere instituerat :

Arma—Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosæ plenum opus aleæ
Tractas, et incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Quantumvis enim lyricæ sint phrases istæ, inest tamen aliquid ingrati, ob tres diversas, et nullâ analogiâ inter se unitas similitudines. Multo fidelius observata est prædicta lex in his versibus Henriciados :

Valois se *réveilla* du sein de son ivresse.
Ce bruit, cet appareil, ce danger qui le presse

Ouvrirent un moment ses *yeux appesantis ;*
Mais du jour importun *ses regards éblouis*
Ne distinguèrent point, au fort de la tempête,
Les foudres menaçans qui grondaient sur sa tête ;
Et bientôt, *fatigué d'un moment de réveil*,
Las, et *se rejetant dans les bras du sommeil*,
Entre ses favoris, et parmi ses délices,
Tranquille, il *s'endormit* au bord des précipices.

Species Allegoriæ sunt Parabola, Proverbium et Allusio.

Parabola est narratio allegorica rei fictæ, ad aliquod consilium vitæ exprimendum. Iis maxime delectati sunt scriptores sacri. Non multum a Parabolis differunt Fabulæ.

Proverbium est dictum aliquod vulgatum, innuens sensum diversum ab eo quem verba præ se ferunt. Sic poëta execratus adversarium suum dicit :

Atque idem jungat vulpes, et mulgeat hircos.

Id est : omnes ejus conatus et labores sint irriti.

Allusio est rei alterius ex alterâ notatio. Occupatur autem vel circa verba (jeux de mots) vel circa facta moresque. Prioris modi exempla passim occurrunt in Anthologiis Epigrammatum ; quale est epitaphium grammatici Despauterii :

Grammaticam scivit, multos docuitque per annos,
Declinare tamen non potuit tumulum.

Et hoc Ammiani in medicum simul et musicum :

Νικήτας ἄδων τῶν ὠτῶν ἐστὶν Ἀπόλλων·
Ἣν δ' ἄρ' ἰατρεύῃ, τῶν θεραπευομένων.

Qui versus primo quidem aspectu videntur compositi

in laudem Nicetæ, at si observes Ἀπόλλων etiam esse participium verbi ἀπόλλυμι, destruo, plane contrarium sensum erues.

Nobilior est Allusio quæ versatur circa facta moresve. Ita apud Ovidium Ulysses exprobrat Ajaci quod inter majores suos habuerit reum fratricidii et ob id crimen patriâ exulem :

Ast mihi (inquit Ulysses) Laërtes pater est, Arcesius illi,
Jupiter huic; neque in his quisquam damnatus et exul.

Similis est Allusio in his verbis Achillis ad Agamemnonem :

Jamais vaisseaux partis des rives du Scamandre
Aux champs thessaliens osèrent-ils descendre?
Et jamais dans Larisse un lâche ravisseur
Me vint-il enlever ou ma femme ou ma sœur. Rac. Iph.

Hæc porro acciderant Agamemnoni, cum Paris Helenam, Menelaï conjugem, Spartâ secum avexit. Allusionem hanc adumbratam invenies lib. 1, Il. v. 154-156. Prima dos allusionis est, ut facilis sit intellectu.

§ 3. *De Metonymiâ.*

Metonymia, a μετὰ et ὄνομα, mutatio vel translatio nominis, si etymologiam spectas, omnes tropicarum locutionum formas complectitur; arctiori vero sensu definitur Tropus, quo, propter relationem externam duarum rerum, vocabulum a significatione propriâ ad impropriam transfertur. Relatio externa est ea, quæ quidem duas res inter se conjungit, at non ita necessario, ut una separata ab alterâ nequeat cogitari. *Purpura* v. g. per Metonymiam exprimit sæpe regiam

majestatem, quia reges purpurâ vestiri solent; est igitur relatio inter utramque significationem; verum isthæc relatio est mere externa, quia et purpura et dignitas regia tamquam ab invicem distincta possunt animo concipi. Sex præcipue modis instituuntur Metonymiæ.

1° Cum causa pro effecto, vel effectum pro causâ ponitur. Ex. gr.

> Tres adeo *incertos* cœcâ caligine *soles*
> Erramus. VIRG.

Id est, *tres incertos dies,* qui diurnâ revolutione solis efficiuntur. Eodem modo Martialis vocat Sirenas

> ..... *hilarem* navigantium pœnam,
> *Blandasque* mortes, gaudiumque *crudele,*

Eleganter transferens epitheta convenientia ipsis Sirenibus, ad effecta cantûs perfidi, quo navigatores in syrtes et scopulos pelliciebant. Ita quoque Ovidius :

> ...... Nec habet Pelion *umbras.*

pro, *nec habet Pelion arbores,* quæ umbram efficiant. Pari ratione Virgilius morbos *pallentes,* et senectutem *tristem* dicit, quod pallor et tristitia sunt effecta morborum et senectutis.

2° Possessor pro re possessâ, præses loci pro loco, inventor pro re inventâ. Ita Virgilius pro, *ardent ædes vicini Ucalegontis,* dixit : *jam proximus ardet Ucalegon.* Et Terentius ad prodigum : *quid te futurum censes quem assidue exedent?* pro, *cujus opes quotidie exedent.* — Horatius aërem appellat Jovem, quod Jupiter credebatur aëris præses :

> .... Manet sub *Jove frigido*
> Venator, teneræ conjugis immemor.

Ceres sæpe ponitur pro pane, Bacchus pro vino, Pallas pro oleo. Ex. gr.

.... Onerantque canistris
Dona *laboratæ Cereris, Bacchumque* ministrant. VIRG.
Cujus ab alloquiis anima hæc moribunda revixit,
Ut vigil, *infusâ Pallade*, flamma solet. OV.

Ceres quippe panis, Bacchus vini, et Pallas oleï usum docuisse narrantur. Similis Metonymia fit, quando belli dux ponitur pro militibus suis, ut :

Hesperiæ domitor (Annibal), qui Gallica rura peragrans
Fregit inaccessas Alpes collemque nivosum. JUV.

Hæc scilicet Pœni perfecerant Annibalis ductu.

3° Signum pro re significatâ. Ex. gr.

Cedant *arma togæ*, concedat *laurea* linguæ. CIC.

Id est, juxta explicationem ipsius Ciceronis, in Pis. n° 75, Bellum ac tumultus paci atque otio concedant. Neptunus, lib. 1. Æn. increpans Eurum, aït; *sævum tridentem*, i. e. imperium maris, sibi, non Æolo sorte datum. De viro propositi tenaci aït Virgilius :

Illum non populi *fasces*, non *purpura regum*..... flexit.

Quid per fasces et purpuram significetur, jam explicatum est supra. Regiam dignitatem nos alio nunc signo, nempe *sceptro* vel *diademate* exprimimus. V. gr.

Dans ma vieillesse languissante
Le *sceptre*, que je tiens, pèse à ma main tremblante. QUIN.

4° Continens pro contento, sedes alicujus rei aut personæ pro re vel personâ ipsâ, tempus quo aliquid fieri solet pro re quæ tum fit, et vice versâ. Ex. gr.

.... Ille impiger hausit
Spumantem pateram, et pleno se proluit auro. VIRG.

Id est, hausit vinum spumans in aureâ paterâ. Idem poëta stagna vocat *loquacia*, propter strepitum quem Cycni in stagnis edunt. Pari modo de mulieribus, per ædes Priami discurrentibus, postquam Neoptolemus fores perfregerat, dicit : fœmineis *ululant* plangoribus *ædes*. Et Phædrus de larvâ speciosâ :

O quanta species! cerebrum (i. e. intellectum) non habet.

In carminibus Bucolicis anni tempestates vulgo designantur per opera rustica, convenientia illis tempestatibus, ut æstas per messem. Ex. gr.

Ante focum si frigus erit, si messis in umbrâ. VIRG.

5° Antecedens pro consequente, vel contra. Ex. gr.

.... Fuimus Troës, fuit Ilium et ingens
Gloria Dardanidum. VIRG.

In hoc exemplo antecedens, nimirum id quod olim fuerant Trojani, usurpatur pro consequente, seu, pro eo quod deinde facti sunt. Antecedens etiam pro consequente ponitur in his loquendi formulis : *sorte meâ contentus sum; oblitus est beneficiorum ; ne memineris iniquitatum mearum;* hoc est : contentus sum eo quod mihi sorte obtigit; ingratum animum ostendit in benefactorem suum ; ne punias iniquitates meas. Consequens pro antecedente habetur in sequentibus :

Abstulit atra dies, et *funere* mersit *acerbo*. VIRG.
Quinque dies tibi pollicitus me rure futurum,
Sextilem (Augustum) totum mendax *desideror*. HOR.

Funus, quod hìc adhibetur pro *morte*, solet mortem consequi; *Absentia*, eandem ob rationem, exprimitur

per verbum *desiderari*. Hunc modum Metonymiæ proprio nomine etiam appellant *Metalepsim*.

6° Nomen abstractum pro concreto. Nomen autem abstractum exprimit rem generice sumptam, et non nisi in conceptione nostrâ existentem, ut : albedo, spes, longitudo, stoliditas, rigor, custodia etc. Nomen concretum exprimit individuum determinatum cum prædicatis suis; ut : paries alba, divitiæ speratæ, collum longum, homo stolidus, ferrum rigidum, miles custodiens etc. Est igitur abstractum pro concreto in sequentibus exemplis : nitet domus *albedine parietum; spes* quæ differtur affligit animam; gruis *colli longitudinem* credit faucibus lupi; *stoliditas* et loquendi et tacendi tempus ignorat; ignis mollit *rigorem ferri;* noctem *custodia* ducit insomnem.

§ 4. *De Synecdoche.*

Synecdoche, a σὺν-ἐκ-δέχομαι, comprehendo, Tropus est quo fit significationis translatio, propter conjunctionem aliquam internam, hoc est, propter conjunctionem, non accidentalem, ut in Metonymiâ, sed fundatam in ipsâ naturâ rerum. Sic quum *carinam* dico pro *navi,* interna est utriusque ad invicem relatio, siquidem navis integra existere nequit absque carinâ. Istiusmodi vero relatio est inter totum et partes suas, genus et species, materiam et rem ex eâ confectam, numerum pluralem et singularem. Iccirco quatuor modis fieri potest Synecdoche, nimirum quando ponitur.

1° Totum pro parte. Ex. gr.

..... Manum *pinu flagranti* fervidus implet. Virg.
Aut *Ararim* Parthus bibet, aut Germania *Tigrim*. *Id.*

Hoc est : manum implet tædâ; Parthus et Germanus bibent aquam haustam ex Arari et Tigride.

Vel contra pars pro toto. Ex. gr.

Quis desiderio sit pudor aut modus
Tam *cari capitis* (1). HOR.
...... Perrupit *dura* bipenni... *limina* (2). VIRG.
...... *Raris* habitata mapalia *tectis* (3). *Id.*
Altera jam silvas revocatis frondibus *æstas* (4)
Vestiit. HOSCH.

(1) Tam caræ personæ. (2) Perrupit portam. (3) Raris habitata domibus. (4) Alter rediit annus.

2° Genus pro specie, ut : ales, pro, aquila; ignes minores, pro, stellæ; mortales, pro, homines. Ex. gr. Fulget Marcellus inter Romanos juvenes

Velut inter *ignes* luna *minores*. HOR.
Prædamque ex unguibus *ales*... projecit fluvio. VIRG.
Optima quæque dies miseris *mortalibus* ævi
Prima fugit, subeunt morbi tristisque senectus. *Id.*

Vel species pro genere, quod poëtis valde usitatum est. Ex. gr.

Gaudentem patrios findere sarculo
Agros, *Attalicis* conditionibus
Nunquam dimoveas, ut *trabe Cypriâ*
Myrtoum pavidus nauta secet mare. HOR.

Id est, spe maximarum divitiarum nunquam dimoveas, ut navi etiam solidissimâ, mare tempestatibus agitatum secet.

3° Materia pro rebus ex eâ factis. Ex. gr.

Auræ vela vocant, tumidoque inflatur *carbasus* (1) austro. VIRG.
Ast homini *ferrum* (2) *lethale* in cote nefandâ

Produxisse parum est. JUV.
At prius ignotos *ferro* (3) quam scindimus agros. VIRG.
.... Volat immissis *cava pinus* (4) habenis. VAL. FLAC.

(1) Per carbasum ventis inflatum intellige navium vela. (2) Per ferrum lethale, gladium. (3) Per ferrum quo scinduntur agri, aratrum. (4) Per cavam pinum, navim. Idem Tropus est in his verbis scripturæ sacræ : *pulvis es*, et in pulverem reverteris.

4° Singularis numerus pro plurali, vel contra. Ex. gr.

Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur. VIRG.
Egreditur castris *miles generosus* ab iisdem. OV.
Pulchra verecundo suffundens *ora* rubore. *Id.*

Huc quoque referuntur, *a* numerus definitus pro indefinito : v. g. *plus millies*, i. e. persæpe, illos adhortati sumus; *b* numerus rotundus pro paulo majore vel minore : ita versio veteris Testamenti, facta in linguam græcam a duobus et septuaginta legis peritis, passim nuncupatur Versio septuaginta interpretum.

Ad Synecdochen etiam referri potest *Antonomasia* (ἀντὶ ὀνόματος, loco nominis) per quam nomen proprium usurpatur pro communi, aut patronimicum et gentile pro nomine proprio. Ex. gr.

Sint *Mæcenates*, non deerunt, Flacce, *Marones*.

Hoc est : sint scientiarum artiumque patroni, non deerunt poëtæ eximii.

Irus et est subito, qui modo *Crœsus* erat. OV.

Pro : mendicus fit subito, qui modo ditissimus erat.

.... Nestor componere lites
Inter *Peliden* festinat et inter *Atriden*.

Pro : inter Achillem et Agamemnonem; ille Peleï, hic Atreï filius erat.

Mantua Musarum domus, atque ad sidera cantu
Evecta *Andini*, et *Smyrnæis* æmula plectris. SIL.

Vates Andinus est Virgilius, Andibus, prope Mantuam, oriundus; per plectrum Smyrnæum intelligitur Homerus, quem Smyrnæi concivem suum esse contendebant.

Per Antonomasiam nomen artis sumitur etiam pro artifice. Ita orator significat sæpe Ciceronem, philosophus Aristotelem.

§ 5. *De Ironiâ.*

Ironia, εἰρωνεία, orationis dissimulatio, Tropus est quo aliud dicimus quam quod ab auditoribus volumus intelligi; hinc verba quæ proprie sumpta laudant, per Ironiam usurpata vituperant. Nemo non videt, Ironiam plurimum valere ad deridendum, eamque debere esse tam manifestam, ut auditor statim intelligat, quo sensu accipienda sit oratio. Ex. gr. Postquam Venus ope Cupidinis inflammarat pectus Didonis erga Æneam, id ægre ferens Juno sic ironice Venerem alloquitur :

Egregiam vero *laudem*, et *spolia ampla* refertis,
Tuque, puerque tuus, *magnum et memorabile nomen!*
Una dolo divûm si fœmina victa duorum est. VIRG.

Ironia hostilis et amara mortui aut brevi morituri vocatur *Sarcasmus*. Talis est responsio Pyrrhi ad Priamum, libro 2 Æn.

.... Referes ergo hæc et nuncius ibis
Pelidæ genitori; illi mea *tristia facta*,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento.

§ 6. *De Hyperbole.*

Hyperbole, ab ὑπερβάλλω, supero, definitur a Quintiliano ementiens superjectio. In usu est inter eruditos et apud rusticos, siquidem est omnibus insita augendarum rerum cupiditas. Tum plurimum valet, cum res, de quâ loquimur, per se magna et hyperbolicæ superjectionis capax est; servetur tamen modus, et videatur quousque rem deceat extollere. Ex. gr.

Crebriùs et fando gaudent super æthera miris
Tollere res, nec sit tantum fas credere, dictis:
It cœlo clamor, tremit omnis murmure Olympus. VIDA.
Candidior cycnis, hederâ formosior albâ. VIRG.
Et mare per medium fluctu suspensa (Camilla) tumente
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas. *Id.*

Virtus hujus Tropi ex diverso par est augendi atque minuendi. Hyperbole rem infra verum deprimens appellatur *Litote*, ut : *vix ossibus hærent*, pro, *ineditâ sunt fere exhausti. Nec sum adeo informis*, pro, *formosus sum*. Pari modo Archítas apud Horatium laudans magistrum suum Pythagoram, de eo dicit :

.... Judice te, non sordidus auctor
Naturæ verique. (Id est eximius auctor naturæ verique.)

Sunt adhuc quædam formæ translationum tropicarum, ut Euphemismus et Antiphrasis, quas non attigimus in hoc capite, quod parum conferunt ad ornatum elocutionis poëticæ. Earum vero rationem explicatam invenies in omnibus fere Rhetoricorum scriptis.

CAPUT V.

De aliis quibusdam poëticis mutationibus vocum.

Non omnia verba omni metro conveniunt, nonnulla etiam indigna sunt elocutione poëticâ. Quapropter ut aures suavi rhythmo atque animus gratis imaginibus demulceantur, sæpe necesse est vocabula, quamvis aliunde perspicua, et rem de quâ agitur clare significantia, mutare in alia et elegantiora et rectius cohærentia cum legibus metri. At cum mutandarum vocum rationem traditurum me promisi, ne, quæso, illud ita dictum existimes, quási nihil aliud nisi multam synonymorum supellectilem sim expositurus : id enim ut exiguæ omnino artis est, ita præceptoris industriâ non indiget. Sufficient ad hoc linguæ cognitio et, ut ajunt, dives copia verborum, omniumque manibus tritus synonymorum index (Gradus ad Parnassum) quem Cl. Noël summo cum studio contexuit in usum tyronum. Nostrum vero propositum est in hoc capite indicare, unde duci possint voces quæ Parnassum suboleant, et a Musarum institutione videantur profecta. De poëticis mutationibus vocum per Idiotismos et Tropos satis actum est in capitibus præcedentibus; superest igitur ut nunc agamus de reliquis mutationibus nondum traditis, et quæ spectare possunt Adjectiva, Substantiva, Casus, Numeros, Verba, Tempora, Modos, Adverbia et Conjunctiones. Quæ omnia, ut ordine prosequamur, totidem sectionibus distinguemus, illustrantes ea exemplis

haustis e Marone aliisque poëtis celeberrimis. In hoc capite sequemur Artem Metricam in usum Gymnasii S. S. Trinitatis.

1° *Adjectiva* eleganter sæpe commutantur in Substantiva pluralis numeri et neutrius generis, ut : *Tædet cœli convexa tueri. Sed me Parnassi deserta per ardua montis raptat amor;* pro : *Tædet cœlum convexum tueri. Sed me per arduum et desertum Parnassum raptat amor.* — *b.* In Substantiva homonyma cum addito genitivo; ut cum dicimus : *Nemorum umbra, Noctis horror, Ebur cytharæ, Inclementia divûm;* pro : *Nemora umbrosa, nox horrenda, eburnea cythara, inclementes dii.* — *c.* In Adverbium homonymum; ut : *Lene spirant zephyri. Triste gemit suorum funera;* pro : *Lenes zephyri spirant. Tristis gemit suorum funera.* — *d.* In Substantivum ablativi casûs rei factæ aut faciendæ modum significans; ut cum Virgilius dixit de Græcis, qui metu persequentium Trojanorum in equi uterum se se abdiderant, lib. 2. Æn.

.... Pars ingentem *formidine turpi*
Scandunt rursus equum, et notâ conduntur in alvo.

Id est : *turpiter formidantes* in equi uterum se recipiunt.

2° Ex dictis intelliges quomodo *Substantiva* etiam interdum mutari possint in Adjectiva. Elegans præterea est mutatio Substantivi speciei in Substantivum generis cum Epitheto speciei proprio. V. g. *Squammigeri greges natantum. Arbor venturi præscia. Jovis altisoni pennata satelles. Æmula divini suavissima carminis ales.* i. e. *Pisces, Laurus, Aquila, Luscinia.* — *b.* Nomen

populorum sæpe transit in nomen fluviorum. V. g. *Euphratem Nilumque move, quo nominis usque nostri fama venit;* pro: *Move Parthos et Ægyptios.*—*c.* Non minus frequentes sunt mutationes Substantivorum per Tropos, præsertim per Metonymiam et Synecdochen; at de his satis egimus in capite quarto.

3° *Casus* quilibet per Apostrophen mutari potest in vocativum. V. g. *Non te silebo, Bacche pater. Terretur minimo pennæ stridore columba unguibus, accipiter, saucia facta tuis.* i. e. *Non silebo Bacchum patrem. Columba saucia unguibus accipitris.* Nemo non videt hanc casuum mutationem multum valere in affectuum concitatione. — *b.* In quæstione *Quò* accusativus cum præpositione *In* sæpe transit in dativum. V. gr. *Quis novus hic nostris successit sedibus hospes? Littoraque Epiri legimus portuque subimus;* pro : *successit in nostras sedes. Subimus in portum.* Hîc adverte *portu* esse Dativum quartæ Declinationis, qui a poëtis sæpius formatur in *u* quam in *ui.* — *c.* In quæstione *Quà* accusativus cum præpositione *Per* eleganter mutatur in ablativum sine præpositione. V. g. *Nam te jam septima portat omnibus errantem terris et fluctibus æstas;* pro : *Errantem per omnes terras et fluctus.* — *d.* Ablativus cum præpositione *A* vel *Ab* per Enallagen et more Græcorum fit nonnunquam dativus; eâdem ratione in dativum convertitur ablativus cum præpositionibus *Cum* et *Pro.* V. g. *Per medios se infert neque cernitur ulli. Pugnabis amori. Non mihi sed amicis meis vivo;* pro : *Neque cernitur ab ullo. Pugnabis cum amore. Non pro me sed pro amicis meis vivo.*

4° *Numeri* singularis mutatio in pluralem, item

numeri indefiniti in definitum tradita est in cap. 4, art. de Synecdoche.—Numeri cardinales eleganter reddi possunt per adverbia numerandi *bis, ter, quater* etc., vel conjuncta cum numero cardinali, ut in hoc exemplo : *sunt mihi bis septem* (quatuordecim) *præstanti corpore Nymphæ;* vel conjuncta cum numero distributivo, ut in hoc : *Bis quinos* (decem) *silet ille dies, tectusque recusat prodere voce suâ quemquam.* — *b.* Numeri cardinales magnâ etiam cum elegantiâ transeunt in Substantiva quæ certam annorum seriem significant. V. g. *Jamque unus lustris geminis accesserat annus;* i. e. *Jam annus agebatur undecimus. Hic prope ter senas vidit Olympiades;* i. e. *Annos nonaginta.* Lustrum enim et Olympias significant quinque annorum spatium, eo quod quinto quovis anno urbs Roma a censoribus lustrabatur, et Olympiæ celebrabantur ludi celeberrimi, ad quorum spectaculum universa fere Græcia confluebat.

5° *Verba* propria eleganter mutantur in metaphorica, maxime si translatio fit a rebus animatis ad inanimatas, ut cum Virgilius dixit de arbore cui peregrini rami erant insiti : *miraturque novas frondes et non sua poma,* verbum *miratur* multo majorem habet efficaciam quam vulgare *profert.* — *b.* Pulcherrima est mutatio verbi simpliciter rem significantis in aliud quod rei circumstantiam graphice exprimat. Vide quam egregie verbum *Sum* sequentibus in exemplis sit mutatum :

Ast ego (Juno loquitur) quæ divûm *incedo* regina, Jovisque
Et soror et conjux. VIRG.
...... Multæ (Capellæ) mihi vallibus *errant*,
Multas sylva *tegit*, multæ *stabulantur* in antris. *Id.*

.... Si quis mihi parvulus aulâ
Luderet Æneas, qui te tantum ore referret. VIRG.
Crura licet durâ compede vincta, *sonent*. TIB.

c. Usitatum est apud Poëtas verbum proprium reddere per brevem aliquam Periphrasim. V. gr. *Illius aram sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus;* pro : *Illi sæpe mactabitur. Multa inter se se vario sermone serebant;* pro : *Multum inter se confabulabantur. Cur mea dicta negas duras demittere in aures;* pro : *Cur mea dicta audire negas. Irarumque omnes, effundit habenas;* pro : *Graviter irascitur. Duris dolor ossibus ardet;* pro : *Vehementer dolet. Demisere neci nunc cassum lumine lugent;* pro : *Occiderunt, nunc mortuum lugent.* De longioribus circumlocutionibus agemus infra.

6° Venusta interdum est translatio *Temporis* præsentis in præteritum. V. g. *Magnum si possit excussisse deum;* pro : *Si possit excutere deum.* — *b*. Item temporis præteriti in præsens; qui translationis modus multum valet in descriptionibus poëticis. V. gr. *Ni faciat* (nisi ventos compesceret Æolus) *maria, ac terras, cælumque profundum quippe ferant rapidi secum;* pro : *Ni faceret, omnia secum ferrent venti.* — *c*. Usus temporis præsentis pro futuro optime convenit oraculis deorum, quibus futura non minus certa sunt quam præsentia.

7° *Modus* indicativus, dum fervent affectus, eleganter mutatur in infinitivum. V. gr. *Omnia misceri tumultu, hinc exaudiri strepitum armorum, hinc sanguine solum manare;* pro : *Miscebantur tumultu, exaudiebatur strepitus, manabat solum. Mene incepto desistere victam, nec posse Italiâ Teucrorum avertere regem;* pro : *An ego desistam, nec Italiâ Æneam possim*

avertere? — *b.* Modus infinitivus etiam poni potest pro Gerundiis aut Supinis. V. g. *Boni quoniam convenimus ambo, tu calamos inflare leves, ego dicere versus;* pro : *Ad inflandum calamos, et ad dicendum versus.* Vide quæ diximus de Hellenismo. — *c.* Imperativus modus persæpe mutatur in futurum tempus indicativi modi, ad significandum quam certi simus de executione eorum quæ mandamus.

8° In *Conjunctione* Et, cæteris omissis, immorabor; quia de aliis vix aliquid occurrit in præsentiâ quod dicam; ista vero una et crebras et gratas in versu mutationes admittit. Eleganter vero commutari potest *a.* in repetitionem ejusdem vocabuli. V. gr. *Maximus ille armis, maximus* (pro *Et*) *ille togâ. Dicam horrida bella, dicam acies, actosque animis in funera reges.* Hæc mutandi ratio vim orationi confert maximam, sive cum interrogamus, sive cum aliquid vehementius affirmamus, sive cum aliquid est pathetice describendum. — *b.* Poëtis quoque frequenter mutatur in præpositionem *Cum.* V. g. *Occidit miseram tenerâ cum prole parentem;* i. e. *Miseram parentem occidit et teneram prolem.*

9° *Adverbia* eleganter mutari possunt in Adjectiva. V. g. *Solvite vela citi;* pro : *cito. Instant ardentes* (pro ardenter) *Tyrii perducere muros.* — *b.* In verba homonyma. V. gr. *Certantque illudere capto;* id est : *Capto certatim illudunt.* — *c.* In Substantivum cui adjungitur aptum Epithetum. V. g. *Summo fervore precatur;* pro : *Valde ferventer precatur.*

Aliæ adhuc sunt poëticæ mutationes vocabulorum; sed illas omnes percurrere foret prolixioris operis. Qui

plura circa hanc materiam cupit legere, adeat cap. 16. libri quarti Poëtices J. Scaligeri. Lectio Virgilii, Horatii, aliorumque optimorum poëtarum vim et efficaciam poëticarum vocum melius quam præceptiones nostræ demonstrabunt. Concludemus caput hoc ostendendo quam graphice Virgilius usus sit verbo *pendere*, ad variarum rerum imagines feliciter adumbrandas :

Ite meæ quondam felix pecus, ite capellæ;
Non ego vos posthac viridi projectus in antro,
Dumosâ *pendere* procul de rupe videbo. 1 Egl.

Dicat Poëta, *non ego vos altâ pascentes rupe videbo*, narrat; adhibeat vocem *pendere*, et capellas e præruptâ rupe quasi suspensas aspicis.

Hi summo in fluctu *pendent*, his unda dehiscens
Terram inter fluctus aperit: 1 Æ.

Substituatur, *hi summo in fluctu apparent*, deperit cum imagine venustas, quæ vóce *pendent*, et quidem ibi collocatâ continetur; nam, *hi pendent summo in fluctu*, non eandem habet elegantiam.

...... *Pendent* opera interrupta minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cœlo. 4 Æ.

Quanta magnificentia in verbis, *minæ ingentes murorum*, pro muris altis! At vox *pendent* quantum huic descriptioni splendoris addit! Quam frigida foret expressio, *manent opera interrupta!*

Fronte sub adversâ scopulis *pendentibus* antrum. 1 Æ.

Annon exhibet hic versus imaginem rupium instar fornicis prominentium?

.... Undantia lora
Concussere jugis, pronique in verbera *pendent*. 5 Æ.

Imago est aurigarum in equos incurvatorum, eosque ad cursum verberibus incitantium.

> Iliacos iterum demens audire labores
> Exposcit, *pendetque* iterum narrantis ab ore. 4 Æ.

Mire exhibet attentionem quâ Dido Æneæ narrationem audit.

De Remo et Romulo ubera nutricis lupæ sugentibus :

> .... Geminos huic ubera circum
> Ludere *pendentes* pueros, et lambere matrem
> Impavidos. 8 Æ.

Adverte etiam Epithetum *impavidos,* quod in fine sententiæ collocatum, eam mirifice illustrat.

> Interea dulces *pendent* circum oscula nati. 2 G.
> Ille ubi complexu Æneæ, colloque *pependit.* 1 Æ.

Ita Virgilius de pueris e collo parentis, quem osculantur, suspensis.

Ex dictis facile judicabitur, quid de reliquis poëtarum vocibus, quibus inest præcipuus elegantiæ lepos, sentiendum sit.

CAPUT VI.

De eleganti Epithetorum delectu.

Epithetum, a verbo ἐπιτίθημι, appono, est Adjectivum Substantivo nomini appositum, ad ejus naturam propius explicandam sententiæque vim augendam.

Ea est, judice Fabio, ratio hujus appositionis, ut non solum Poësis, sed ipsa oratio nullis adstricta numeris, sine eâ languescat. At, quantumcunque Epitheta

conferant ad elegantiam et dignitatem elocutionis poëticæ, ne tamen, more quorumdam recentiorum, ita profundantur, ut dictio non dissimilis sit exercitui in quo habeantur tot suffarranei quot milites.

Circa usum Epithetorum id imprimis diligenter observandum est, ut rei, de quâ agitur, sint accommodatissima; hoc est, ut non solum Substantivo cui tribuuntur conveniant, sed etiam ut vel novam quamdam toti sententiæ vim adjiciant, vel novum aliquod ei lumen et decus affundant; inutilia enim eo ipso nocent, quod nihil prosunt. Exemplo sit hæc phrasis Virgiliana de Prometheo, cujus ad Caucasum alligati viscera, in pœnam ignis fraudulenter ab illo in terras illati, vultur a Jove missus dilacerabat:

.... Rostroque *immanis* vultur *obunco*
Immortale jecur tundens, *fœcundaque* pœnis
Viscera.

Tolle Epitheta, et quæ remanet sententia : *rostro vultur tundens jecur et viscera,* nihil poëticum sonat. Vel pro Epithetis Virgilii utere sequentibus : *vultur devolans rostro duro molle jecur ac intima viscera tundens,* quam nuda et incompta est sententia! Quamquam vultur quotidie devolaret ad dilacerandum rostro quod *durum* erat, jecur quod *molle,* et viscera quæ *intima* erant. Apud Maronem omnia sunt vivida et sensu plena; vultur dicitur *immanis,* utpote Promethei carnifex; rostrum *obuncum,* quò facilius miserum discerperet; jecur *immortale,* ne carnificio unquam deesset materia; viscera *fœcunda pœnis,* nimirum singulis noctibus ad quotidianum carnificium renascentia.

Omnes moriemur, seu mœsti vixerimus, seu nos beaverimus generoso falerno reclinati in gramine, *ubi pinus et populus ad rivulum umbram amant consociare*. Simplicem hanc phrasim sic Epithetis ornavit Horatius :

> Quà pinus *ingens albaque* populus
> Umbram *hospitalem* consociare amant
> Ramis, et *obliquo* laborat
> Lympha *fugax* trepidare rivo.

Quodlibet Epithetum suam habet virtutem. Arbores altissimæ (*pinus ingens*) et aspectu jucundissimæ (*albaque populus*) ramis consociatis efficiunt recessum impenetrabilem soli, ubi viator sub tecto velut hospitali (*umbram hospitalem*) vires reficere possit; juxta fluit rivulus leni murmure (*fugax*) somnum invitans, et ita tenuis, ut vel ad minimum obicem cursum deflectere (*obliquo rivo trepidare*) et novum tramitem sibi quærere cogatur. Sublatis illis Epithetis evanescunt optimi colores jucundissimæ hujus descriptionis.

Epithetorum fontes vel sunt generales vel particulares. Ducem in hoc capite præcipue sequemur artem metricam in usum Gymnasii S. S. Trinitatis.

Articulus I.

De fontibus generalibus Epithetorum.

1° *Indoles hominis.* Cum enim quilibet homo propriam habet indolem, tribui potest ipsi Epithetum moribus ejus conveniens. Ita Achilles dicitur *iracundus* et *inexorabilis*, Medea *ferox*, Ixion *perfidus*, Ulysses *dolosus*, Ajax *impavidus*, Æneas *pius*, Achates *fidus*,

Hector *strenuus* etc. Verum Epitheta ex hoc fonte hausta parum aut nihil habent elegantiæ, nisi quum agitur de actione quâdam prædictis moribus consonâ. Quare mihi Homerus nequaquam probandus est, quando Achillem in tentorio suo coquinam parantem vocat ποδώκεα, quid enim velocitati pedum cum culinâ? Nec ipse Virgilius ab hoc Homerico vitio plane immunis est; nam cur Æneam, dum ferro percutit hostem, *patrem* appellet aut *pium*, mihi difficile videtur intellectu, quidquid J. Scaliger dicat ad excusandum Maronem, quem supra Homerum nimis extollere nititur. In versionibus omittantur istius generis otiosa Epitheta.

2° *Rerum describendarum natura.* Singulæ quoque res habent aliquam sibi propriam et ita inhærentem qualitatem, ut, nisi ipsæ destruantur, omnibus in circumstantiis eam conservent. Quidquid, exempli causâ, dicatur de cedro vel de nive, illa semper erit olens, hæc semper alba. Quamvis hæc Epithetorum species sæpe frigida sit, et plerumque a tyronibus perperam adhibeatur, informandæ tamen imagini nonnunquam eleganter inservit. Ut in his Virgilii.

> Hæc (alvearia) circum casiæ *virides*, et *olentia late*
> Serpylla, et *graviter spirantis* copia thymbræ
> Floreat, *irriguumque* bibant violaria fontem. 4 G.
> .... Primisque in faucibus Orci
> Luctus et *ultrices* posuere cubilia curæ,
> *Pallentesque* habitant morbi, *tristisque* senectus
> Et metus, et *malesuada* fames, et *turpis* egestas. 6 Æ.

Tum vero Epitheta deprompta ex hoc fonte plurimum valent, cum descriptionis efficaciam augent,

ut in his versibus Virgilii de Ornito ad pugnam procedente :

> Pellis cui *latos* humeros erepta juvenco
> Pugnatori operit; caput *ingens*, oris hiatus,
> Et malæ texere lupi, cum dentibus *albis*.

Humeri lati egregie exprimunt robur Orniti; *caput ingens, dentes albi pellis lupo detractæ* truculentiorem reddunt bellatoris faciem.

3° *Rerum circumstantiæ*. Hic fons Epithetorum est uberrimus omnium. Quare artis poëticæ candidati materiam sibi propositam summâ cum attentione perspicere debent, ut, omnibus circumstantiis bene perpensis, inde depromant Epitheta, quæ eam splendidiorem reddant et affectibus variis excitandis aptiorem. Priamus urbem incensam videns circumdat humeris arma, ferrum accingit, et fertur in hostes. Circumstantia senectutis Priami, jamdudum armis desueti, suppeditat Virgilio Epitheta maxime pathetica :

> Arma diu *senior desueta trementibus* ævo
> Circumdat nequicquam humeris, et *inutile* ferrum
> Cingitur, ac *densos* fertur *moriturus* in hostes. 2 Æ.

Vides miserum principem, juvenili quidem animo sed viribus effœtis, morti se devoventem; induit humeris senio trementibus arma vix non exesa rubigine; cingitur ferrum, quod cladem patriæ non avertet; ac ruit in hostium agmina, quæ jam undique conglobata urbem occupaverant, non illa repulsurus, sed gloriose moriturus. Omnis efficacia hujus descriptionis continetur in Epithetis *senior, desueta, trementibus, inutile, densos, moriturus*.

Hanc etiam sententiam ab Horatio exquisitissimis Epithetis ornatam admirare : *Nequicquam Deus terras Oceano abscidit, si tamen rates vada transiliunt.* Id est, frustra Dei providentia terras a mari disjunxit, si nihilominus homines audent navigare. Sic enim aït Ode 3 libri 2 :

Nequicquam Deus abscidit
Prudens Oceano *dissociabili*
Terras, si tamen *impiæ*
Non tangenda rates transiliunt vada.

Quam bene vocavit *Deum prudentem* in hac marium terrarumque distinctione; *Impias rates,* quod divinæ providentiæ leges violare quodammodo videantur; *Oceanum dissociabilem et vada non tangenda,* quod Deus videtur idcirco infinitis illa propemodum scopulorum, syrtium, procellarumque cinxisse periculis, ne unquam homines pelago se committere, illudve attingere audeant.

Moyses rupem impellit virgâ, cautes tremit, exsudat primo guttas, tum fontem ejaculatur. En ideam nudam, quam sic Epithetis elegantissimis illustrat Cl. Lebeau :

.... *Fœcundo* vulnere rupem
Impulit : intremuit cautes, *docilisque fluentes*
Exsudat primum guttas, *mollitaque jussas*
Ejaculatur aquas.

Hæc exempla sufficiant ad demonstrandum quam splendida Epitheta ex hoc fonte hauriri possint.

4° *Rerum naturalium, divinarum et historicarum cognitio.* Ex hoc fonte, qui omnem fere Poësim irrigat, hausta sunt Epitheta exemplorum sequentium :

Me quoque *devexi rapidus* comes Orionis
Illyricis Notus obruit undis. Hor.

Notus frequentes procellas concitat in mari Illyrico circa occasum Orionis astri.

Nec *fera cœruleâ* domuit Germania pube. Hor.

Germanis enim, teste Tacito, truces et cœrulei oculi, magnaque et ad impetum valida corpora. Idem Horatius Mercurium dicit

Callidum, quidquid placuit, *jocoso*
Condere furto.

quod infans Apollini primum subduxerat vaccas, ac deinde ipsam pharetram cum telis.

Romulum post hos prius (canam)? An *quietum*
Pompili regnum memorem? An *superbos*
Tarquini fasces, dubito, an Catonis
Nobile lethum?

Numa Pompilius, rex Romanorum, justitiâ et pietate insignis, truces et longâ militiâ efferatos subditorum animos ad artem pacis traduxit. Tarquinium, septimum et ultimum regem suum, Romani propter immanem ipsius superbiam in exilium egerunt. Cato, cognomine Uticensis, cum oppressam a Cæsare libertatem videret, necem sibi conscivit, ne reipublicæ superstes esset, atque ideo Horatius *lethum* Catonis vocat *nobile*.

Unde patet quam utilis sit Poëtis Philosophiæ, Historiæ, Mythologiæ aliarumque scientiarum cognitio, sine quâ solum ingenium brevi arescat necesse est.

Art. 2.

De Fontibus particularibus Epithetorum.

1° *Tropi, inprimis Metaphora, Synecdoche et Metonymia.* At quia Troporum rationem supra explana-

vimus, pauca tantum exempla hic adjiciemus, ad probandum quanta sit in eleganti Epithetorum delectu tropicarum translationum utilitas. Metaphoricam translationem a plantis ad senem Charontem habes in hoc Virgilii :

Jam senior, sed *cruda* deo *viridisque* senectus.

A militibus legitimo tempore defunctis ad aratrum longo usu attritum, in hoc Ovidii :

Rusticus *emeritum* palo suspendat aratrum.

In sequentibus exemplis Epitheta pertinent ad Metonymiam.

.... Atque hanc sine tempora circum
Inter *victrices* hederam tibi serpere lauros. VIRG.
Succurrunt *timidis* sidera navibus. SEN.
Oblivioso lævia Massico
Ciboria exple. HOR.

In primo exemplo Epithetum personæ, *victori* scilicet *imperatori*, conveniens tribuitur ejus signo, nimirum *lauro ;* in secundo transfertur a contento ad continens, nempe a *nautis* ad *navem ;* in ultimo ab effecto ad causam, ab *ebrietate* videlicet quæ curarum oblivionem parit, ad *Massicum,* vinum generosissimum.

Poëtæ etiam elegantia ducunt Epitheta a Synecdoche, tribuentes parti quæ proprie toti integrali conveniunt, ut quum Martialis raptum ab aquilâ Ganymedem describens, aït :

Æthereas aquilâ puerum portante per auras
Illæsum *timidis* unguibus hæsit onus.

Id est, timebat aquila ne puerum læderet unguibus :

quapropter Poëta timorem eleganter a toto ad partem, ab aquilâ ad ejus ungues transfert. Pari ratione Nereus apud Horatium vaticinatur adultero Paridi, sero tandem ipsius cadaver per pulverem tractum iri : *Heu serus adulteros crines pulvere collines*. Sed ne inutilem cap. 4 repetitionem instituamus, plura de hoc fonte scribere supersedebimus.

2° *Idearum oppositio*. V. gr.

Sæpe creat *molles aspera* spina rosas. Ov.
Ille ego qui quondam *gracili* modulatus avenâ
Carmen ....at nunc *horrentia* Martis
Arma cano. VIRG.

Vide quæ infra, cap. 7, dicturi sumus de *Antithesi*.

3° Interdum vis elegantiæ maxima inest Epithetis, quæ adjunctam habent aliquam negationem. Virgilius referens deturbati ad inferos Salmonei pœnam, qui per aheneum pontem quadrigis vectus, et faces jaculans, tonitrua et fulmen imitari voluit, sic habet lib. 6 Æn.

.... Divûmque sibi poscebat honorem
Demens, qui nimbos et *non imitabile* fulmen,
Aere, et cornipedum cursu simularat equorum.

Similiter Lucanus dixit, non sine quâdam emphasi : *non unus* transigit ensis viscera; id est, *multis* ensibus confoditur.

4° Poëtæ non invenuste interdum per comparationem Epitheta nominibus adhibent. V. g.

Et juxta comes (aderat) Eurialus, *quo pulchrior alter*
Non fuit Æneadum. VIRG.
.... Cadit et Rypheus *justissimus unus*
Qui fuit in Teucris, et *servantissimus* æqui. *Id.*

II.

Huc refertur Epithetum *melior*, quod, si recte usurpatur, magnam habet elegantiam. Ita Deïphobus in inferis Æneam alloquitur :

> I decus, i nostrum, *melioribus* utere fatis.

Idem Virgilius de priscis Trojanæ gentis heroïbus, qui patriæ expugnationem non viderant, aït :

> Magnanimi heroes, nati *melioribus* annis.

5° Futura Participiorum pro Epithetis usurpata, multum elegantiæ nonnunquam in versum invehunt. Ita Lucanus Phœnices litterarum inventores celebrans, eleganter dixit :

> Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
> *Mansuram* rudibus vocem signare figuris.

Non minus eleganter Virgilius de pinu dixit :

> Nascitur et casus abies *visura* marinos.

Id est, futura aliquando navis.

6° *Appositum*, quod supra p. 90. c. 3. de Idiotismis, explicatum fuit, eleganter aliquando Epitheti vice fungitur, et magnam versibus gratiam parit. V. g.

> Nec tamen interea raucæ, *tua cura*, palumbes,
> Nec gemere aëriâ cessabit turtur ab ulmo. VIRG.
> Ah male quæsiti, *damnorum semina*, nummi.
> Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
> Pellitos habuit, *rustica corda*, patres. PR.

Præterea tyrones, dum lectioni Poëtarum dant operam, diligenter observabunt Epitheta quædam, quæ peculiare quid ac eximium sonant, et de quibus nulla certa regula potest statui. Passim horum exempla carpes

ipse; neque enim omnia nobis sunt describenda, sed satis esse debet artis capita indicasse, in aliis te ipsum exerceto. Si cui datum fuerit ut nova Epitheta excogitet, is surripuerit gloriam priscis, gloriæ causam posteris præripuerit.

Totum hoc caput visum est eodem generali monito claudere, quo illud sumus exorsi : nimirum dandam esse inprimis operam, ut nullius Epitheti delectum faciamus, quod non peculiari quodam decore vel ornet sententiam, vel ejus significationem augeat, vel majus illi lumen affundat; uno verbo, quærenda sunt semper Epitheta, quæ singulis vocibus, reique propositæ argumento, quantum fieri possit, optime conveniant.

CAPUT VII.

De Figuris Rhetoricæ ad Elocutionem poëticam plurimum conferentibus.

Figuræ Rhetorices sunt quædam loquendi formulæ et quasi orationis lumina, quæ simplici sententiæ splendorem, vim, gratiam, et, ut ita dicam, elegantiorem *habitum* aut *formam* (unde ipsarum nomen) addunt. Nemo, exempli gratiâ, non videt quantum splendoris Repetitio et Periphrasis, in exemplo sequente, affundant huic simplici sententiæ : *Te lacus stygii et Cerberus tremuerunt :*

Te stygii tremuere lacus, te janitor Orci
Ossa super recubans antro semesa cruento. VIRG.

Magna est vis et efficacia Apostrophes in hoc exemplo :

Et si fata deûm, si mens non læva fuisset,

Impulerat (Laocoon) ferro Argolicas fœdare latebras;
Trojaque nunc *stares*, Priamique arx alta *maneres*! Virg.

Substituatur enim phrasis hæc : *Et si etc. Trojaque nunc staret, Priamique arx alta maneret;* atque fateberis, frigidam hanc et incomptam esse, comparatam cum illâ Virgilianâ. Suavitatem et gratiam figuratæ orationis nemo negabit, qui vel tantisper attigerit Poëtarum vel Oratorum scripta.

Figuræ minus recte a nonnullis definiuntur, locutiones a vulgari consuetudine remotæ; nihil enim est tam pervulgatum, apud homines etiam minime eruditos, quam illarum usus; quæ cum sint quodammodo imagines diversorum affectuum, sua sponte erumpunt, quoties vivide commotus quis loquitur.

Ex dictis patet discrimen figurarum Rhetorices et figurarum Syntaxeos; nam hæ non sunt nisi quidam idiotismi, id est, quædam licentiæ styli poëtici, recedentes a communibus Grammaticorum legibus; illæ vero altius quid sonant, ac nullum præceptum Grammaticorum violant. Differunt quoque a Tropis in eo, quod omnis Troporum ratio posita est in vocabulorum translatione a significatione propriâ ad impropriam, et quod figuræ, de quibus hic agitur, propriis verbis fieri possunt.

Ex ingenti silvâ figurarum Rhetoricæ seligemus eas tantum, quæ Poëtis maxime usitatæ sunt, quæque plurimum conferunt ad dignitatem et ornatum Elocutionis poëticæ. Duces in hoc capite habuimus Ciceronem, Quintilianum et Vossium.

1° *Repetitio* est eorumdem verborum, non inopiæ sed festivitatis causâ, apte instituta geminatio. Variis

modis adhiberi potest, cum verba aut duplicantur, aut breviter commutata ponuntur, aut ab eodem vocabulo ducitur sæpius oratio, aut in idem conjicitur. Maxima autem est efficacia Repetitionum ad commovendos affectus, ut doloris et commiserationis :

Ipse (Orpheus) cavâ solans ægrum testudine amorem,
Te, dulcis conjux (Euridice), te solo in littore secum,
Te veniente die, te decedente canebat. VIRG.

Lætitiæ et exultationis :

Cum procul obscuros colles, humilemque videmus
Italiam, Italiam! primus conclamat Achates,
Italiam læto socii clamore salutant. VIRG.

Audaciæ et ardoris bellici :

Arma manu trepidi poscunt, fremit arma juventus. *Id.*
Me, me, adsum qui feci, in me convertite ferrum. *Id.*

Repetitio conjunctionum proprio nomine appellatur *Polysyndeton* (a πολὺς et σύνδετος, *multus* et *conjunctus*). Sic Dido furibunda, quum ab Æneâ desertam se videret :

Quem metui moritura? faces in castra tulissem,
Implessem*que* foros flammâ, natum*que*, patrem*que*,
Cum genere extinxem, memet super ipsa dedissem.

2° Repetitioni contraria est *Aposiopesis*, s. *Reticentia*, quæ institutam phrasim subito abrumpit. Convenit ut plurimum iræ; v. g. cum Neptunus reprehendit ventos, quod absque numine suo mare turbaverant :

Jam cœlum terramque meo sine numine, venti,
Miscere, et tantas audetis tollere moles?
Quos ego! — Sed motos præstat componere fluctus. VIRG.

Convenit etiam animorum suspensioni et excitandæ attentioni, ut in hoc exemplo, ubi Sinon narrat Trojanis, quas fraudes in ipsum machinatus sit Ulysses :

Nec requievit enim, donec Calchante ministro —
Sed qui dego hæc autem nequicquam ingrata revolvo? VIRG.

Valet quoque ad significationem pudoris, ut in hoc :

Majorum quisquis primus fuit ille tuorum
Aut pastor fuit, aut illud—quod dicere nolo. JUV.

Species Aposiopesis est Syllepsis, a συλλαμβάνω, *comprehendo*, in quâ pars sententiæ apertis verbis exprimitur, et altera pars a legente suppletur. Schema hoc affinitatem habet cum Allusione. Ita Æneas Carthaginem conditam a Tyriis exulibus aspiciens, exclamat :

O fortunati, quorum jam mœnia surgunt! VIRG.

Pars subintellecta est : *at nos erramus adhuc carentes certâ sede.*

3° *Antithesis*, ab ἀντιτίθημι, *oppono*, rem illustrat vel auget oppositione contrariorum. Quia vero lubrica est hæc figura, cave ne immodice illam petas, ut sæpe Seneca, neglecto rerum pondere. Quando Antithesis sponte manat ex ipsis rebus, commode distinctis luminibus stylum exornat, at quando laboriose conquiritur aut abundantius profunditur, cito satietate afficit legentis animum. Elegantissimæ sunt oppositiones idearum in his versibus Santolii de Martyribus et Anachoretis :

Illis summa fuit *gloria despici*,
Illis *divitiæ pauperiem* pati,
Illis *summa voluptas*
Longo supplicio mori.

Adde exempla sequentia :

Flectere si nequeo *superos*, *Acheronta* movebo. VIRG.
Servare potui : *perdere* an possim rogas? Ov.
Pacem orare manu, præfigere puppibus *arma*. VIRG.

Ultima verba Socratis ad judices continent Antithesim, omnium, quas unquam legerim ego, maxime vividam : Ἀλλὰ γὰρ ἤδη ὥρα ἀπιέναι, ἐμοὶ μὲν ἀποθανουμένῳ, ὑμῖν δὲ βιωσομένοις. Plat. Apol. Socr. Quis cum Socrate non mallet mori, quam cum iniquis judicibus vitam turpem agere?

4° *Hypotyposis*, juxta nominis etymologiam, est figura quæ personas, res, mores, ita pingit, ita sub oculos conjicit, ut coram videantur aspici. Hypotyposis quandoque constat paucis verbis aut versibus. Ex. gr.

. . . . . . Capulo tenus abdidit ensem. VIRG.
. . . . . . Ponto nox incubat atra. *Id.*
Stabant (manes) orantes primi transmittere cursum,
Tendebantque manus ripæ ulterioris amore. *Id.*

Quandoque longior est et copiosius exposita, tuncque vocari solet *Diatyposis*. Scripta Homeri et Virgilii suppeditant innumera exempla istiusmodi descriptionum tam luculentarum, ut perfectissimam tabulam aspicere, quin imo rebus ipsis adesse videaris. Hoc schemate etiam sæpe usus est Horatius, ex cujus Oda 2, l. 2. hausimus sequentem descriptionem belli civilis Pompeium inter et Cæsarem :

Jam nunc minaci murmure cornuum
Perstringis aures : jam litui strepunt :
Jam fulgor armorum fugaces
Terret equos, equitumque vultus.

Audire magnos jam videor duces,
Non indecoro pulvere sordidos;
Et cuncta terrarum subacta,
Præter atrocem animum Catonis, etc.

Accurata morum descriptio dicitur *Ethopœia,* personarum *Prosopographia,* locorum *Topographia.* Speciatim de illis agemus in cap. 8.

5° *Interrogatio,* non illa vulgaris, quâ quid simpliciter rogamus, sed illa quam inter schemata præstantissima artis periti receperunt, fit cum, deflectentes a sermone directo quo liceret uti, nosmetipsos aut alios interrogamus, non ut nobis respondeatur, sed ut verba nostra, velut aculei, altius penetrent in animos legentium. Figura hæc multum efficaciæ addit orationi Junonis, lib. 1 Æn., quâ semetipsam inflammat, cum vela facientes in Italiam Trojanos aspicit:

. . . . . . Mene incepto desistere victam,
Nec posse Italiâ Teucrorum avertere regem?
Quippe vetor fatis? Pallasne exurere classem
Argivum, atque ipsos potuit submergere ponto?....
Ast ego, quæ divûm incedo regina, Jovisque
Et soror, et conjux, unâ cum gente tot annos
Bella gero. Et quisquam numen Junonis adoret
Præterea, aut supplex aris imponat honorem?

Cumulatæ interrogationes illæ aptissime pingunt superbam animam Junonis, ac odium implacabile quo persequebatur Trojanos. Interrogatio sæpe conjungitur cum *Dubitatione,* quando scilicet mens hæret dubia quid agat aut quò se convertat.

6° *Exclamatio* per Emphasim et Interjectiones vehe-

mentes exprimit affectus animæ; ut cum Æneas Didoni refert, quale sibi apparuerit spectrum Hectoris :

Heu mihi! Qualis erat! Quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis! VIRG.

Cum institutus sermo subito abrumpitur, et ad aliam rem vel personam, per Exclamationem aut Interrogationem convertitur, fit *Apostrophe*, cujus magna est virtus in affectibus concitandis. Nemo est tam sensu destitutus, ut non sentiat istius figuræ efficaciam in hac oratione furentis Elissæ, l. 4. Æn.

Littoraque et vacuos sensit sine remige portus;
Terque quaterque manu pectus percussa decorum,
Flaventesque abscissa comas, proh Jupiter! ibit
Hic (Æneas), ait, et nostris illuserit advena regnis!
Non arma expedient, totâque ex urbe sequentur,
Diripientque rates alii navalibus? Ite,
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos! —
Quid loquor, aut ubi sum? Quæ mentem insania mutat?
Infelix Dido! Nunc te facta impia tangunt?
Tum decuit, cum sceptra dabas! etc.

Apostrophe et sequens schema, Prosopopœia, mixtam sæpe efficiunt figuram.

7° *Prosopopœia*, a πρόσωπον et ποιέω, *personam fingo*, omnium figurarum audacissima, et, si commode adhibeatur, omnium splendidissima, duplici modo potest institui; *a.* cum res sensu et vitâ carentes in vitam quasi evocamus, et loquentes inducimus, ut Lucanus patriam ad Cæsarem :

.... Cum ventum est parvi Rubiconis ad undas,
Ingens visa duci Patriæ trepidantis imago,
Clara per obscuram vultu mœstissima noctem,

Turrigero canos effundens vertice crines,
Cæsarie lacerâ, nudisque adstare lacertis,
Et gemitu permista loqui : Quo tenditis ultra?
Quo fertis mea signa viri? Si jure venistis,
Si cives, huc usque licet. — Tunc perculit horror
Membra ducis, riguere comæ etc.

b. Cum ipsi res inanimatas, aut procul absentes personas, vel mortuos alloquimur, quasi vocem nostram exaudire possint. Ita Sinon lib. 2. Æn. stellas, aras, enses et vittas testatur :

Vos æterni ignes, et non violabile vestrum
Testor numen, ait; vos aræ ensesque nefandi,
Quos fugi, vittæque deûm, quas hostia gessi!
Fas mihi Grajorum sacrata resolvere jura.

Simili modo apud Sophoclem Philoctetes, jamjam profecturus ad bellum Trojanum, valedicit insulæ Lemno, ubi tot annos, procul ab humano commercio, vitam miserrimam duxerat :

Χαῖρ', ὦ μέλαθρον ξύμφρουρον ἐμοί,
Νύμφαι τ' ἔνυδροι λειμωνιάδες,
Καὶ κτύπος ἄρσην πόντου, προβλής θ',
Οὗ πολλάκι δὴ τοὐμὸν ἐτέγχθην
Κρᾶτ' . . . .
Λείπομεν ὕμας, λείπομεν ἤδη,
Δόξης οὔ ποτὲ τῆσδ' ἐπιβάντες.
Χαῖρ', ὦ Λήμνου πέδον ἀμφίαλον,
Καί μ' εὐπλοίᾳ πέμψον ἀμέμπτως,
Ἔνθ' ἡ μεγάλη μοῖρα κομίζει.

Stupendæ sublimitatis est hæc Prosopopœia prophetæ Jeremiæ : *O mucro Domini! usque quo non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, et sile.*

8° *Imprecatio*, sive *Ara*, figura est per quam mala imprecamur alicui. Eximium hujus schematis exemplum habes lib. 4. Æn. ubi Dido, morti proxima, diris devovet Æneam, et omnem Trojanorum progeniem :

..................Si tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare necesse est,
Et si fata Jovis poscunt, hic terminus hæret :
At bello audacis populi vexatus et armis,
Finibus extorris, complexu avulsus Iuli,
Auxilium imploret, videatque indigna suorum
Funera : nec cum se sub leges pacis iniquæ
Tradiderit, regno aut optatâ luce fruatur;
Sed cadat ante diem, mediâque inhumatus arenâ.
Hæc precor, hanc vocem extremam cum sanguine fundo.

Mox per Apostrophen adjurat progeniem Tyriorum, ut omni tempore et ad internecionem bella gerant cum posteris Trojanorum, et vaticinatur fore aliquem olim vindicem injuriarum suarum (Annibalem), qui Dardanios colonos igne et ferro per cunctum terrarum orbem persecuturus sit.

Terribilis quoque est imprecatio OEdipi adversus ingratum filium Polynicem, Soph. OEd. Col.

Σὺ δ'ἔῤῥ' ἀπόπτιστός τε, κἀπάτωρ ἐμοῦ
Κακῶν κάκιστε, τὰς δὲ συλλαβὼν ἀρὰς,
Ἃς σοί καλοῦμαι, μήτε γῆς ἐμφυλίου
Δορὶ κρατῆσαι, μήτε νοστῆσαι ποτὲ
Τὸ κοῖλον Ἄργος, ἀλλὰ συγγενεῖ χερὶ
Θανεῖν, κτανεῖν θ'ὑφ'οὗπερ ἐξελήλασαι.
Τοιαῦτ' ἀρῶμαι, καὶ καλῶ τοῦ ταρτάρου
Στυγνὸν πατρῷον ἔρεβος, ὥς σ'ἀποικίσῃ·
Καλῶ δὲ τάσδε δαίμονας· καλῶ δ'Ἄρη
Τὸν σφῶϊν τὸ δεινὸν μῖσος ἐμβεβληκότα.

Tum imprecatio optima est, cum quod aliunde scimus evenisse, id in vota imprecantium inserimus. Ab hac lege defecit Seneca, apud quem OEdipus imprecatur Polynici tristem senectutem, quamvis hic florente ætate fuerit interfectus a fratre suo Eteocle. Multo rectius Sophoclis OEdipus nihil vaticinatur Polynici, nisi quod eventu fuerit comprobatum.

Quomodo per alias nonnullas Rhetoricorum figuras, Pleonasmum, Synonymiam, Periphrases, Merismos, Ethopœias, Prosopographias et Topographias augeri possit elocutio poëtica, in sequenti capite ostendemus.

CAPUT VIII.

De amplificationibus poëticis.

Amplificare est addere aliquid ad ideam simplicem; omnis vero amplificationis munus est sententiæ nudæ majorem tribuere splendorem et efficaciam. Quapropter sterilis amplificatio prorsus explodatur tanquam inepta verborum coacervatio. Cum innumeræ fere sint rationes amplificandarum sententiarum, omissis reliquis, pauca dicemus de illis tantum quæ maxime familiares poëtis videntur. Agemus primo de brevioribus, deinde de longioribus amplificandi modis.

§ 1. *De brevioribus amplificationibus styli poëtici.*

Sententiæ nudæ ac simplices eleganter extendi possunt;

1° Per *Epitheta*, præsertim ea quæ secum invehunt

aliquod regimen. Sic pro : *oravit Parcas*, poteris per istiusmodi accessionem cum Martiale dicere :

Ultima volventes oravit *pensa* sorores.

Pro : *Phusce, vir probus non eget Mauri jaculis, neque arcu, nec pharetrâ,* egregie cecinit Horatius :

Integer vitæ, scelerisque purus
Non eget Mauri jaculis, neque arcu,
Nec *venenatis gravidâ sagittis,*
Phusce, pharetrâ.

Dilatari quoque potest sententia addendo Epithetum, quod postea mutetur in substantivum, atque ita pro uno substantivo habebis geminum. Si deinde utrique substantivo suum addis Epithetum, sententiam ad integrum versum poteris extendere, quin imo ad plures. Ex. gr., pro, *extinxit bellum,* dices primo, *extinxit bellum incensum;* tum *incensum* mutabis in *incendium,* vel, *incendia,* et habebis, *extinxit incendia belli;* adjicies tandem utrique substantivo Epithetum idoneum, et dices :

Extinxit *miseri funesta incendia* belli.

Poteris deinde augere eandem sententiam per phrasim huic respondentem, sive ductam a contrario. Ita versui præcedenti adjicies hanc ideam, *restituitque pacem,* eandemque simili modo extendes in :

Restituitque *almæ dulcissima gaudia* pacis.

2° Per *Pleonasmum,* hoc est, per emphaticam addi-

tionem vocabulorum, quæ ad sententiæ integritatem non requiruntur. Ex. gr. pro : *vidi et audivi :*

His egomet oculis vidi, atque his auribus hausi.

Maxima virtus Pleonasmorum est in asseverando.

3° Per *Synonymiam*, id est, per ejusdem aut fere ejusdem rei geminatam repetitionem. Sic Horatius simplicem hanc ideam ; *omnes moriemur*, variis modis aptissime expressit :

Victima nil miserantis Orci ;
Omnes eodem cogimur ; omnium
Versatur urnâ serius ocyus
Sors exitura, et nos in æternum
Exilium impositura cymbæ.

Passim instituitur per *gradationem*, id est, per crescentem sententiarum verborumque efficaciam.

4° Per *Ablativos* explicantes modum aut instrumentum quo res fit. Ex. gr. *Quis major fuit Pompeio, tamen fugiens rogavit clientis opem ;* quam nudam phrasim sic numeris illigavit, et addito ablativo amplificavit Ovidius :

Quis Magno fuerat major? Tamen ipse rogavit
Summissâ fugiens *voce* clientis opem.

Ager semina credita reddet :

.... Mandataque semina terræ
Felix *multiplici fœnore* reddet ager.

Et templis aras restituet :

.... Et *vindice ferro*
Restituet sacris violatâ altaria templis.

Puer Icarus adstabat Dædalo, et modo captabat plumas quas moverat aër, modo ceram molliebat, opus patris impediens.

.... Puer Icarus unà
Stabat, et ignarus sua se tractare pericla,
Ore renitenti modo quas vaga moverat aura
Captabat plumas, flavam modo *pollice* ceram
Mollibat, *lusuque suo* mirabile patris
Impediebat opus. OV.

5° Per *Interjectiones affectuum*, quæ plurimum valent in descriptione, *a.* rei terribilis, ut in exemplo sequente :

Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta,
Horresco referens! immensis orbibus angues
Incumbunt pelago. VIRG.

b. Rei luctuosæ, ut in hoc :

Et mortem et nomen Druso Germania fecit.
Me miserum! virtus quam brevis illa fuit. OVID.

c. Rei admirandæ; ut cum Sinon narraret prodigia quæ raptum Palladii trojani consecuta fingebat :

Vix positum castris simulacrum, arsere coruscæ
Luminibus flammæ arrectis, salsusque per artus
Sudor iit, terque ipsa solo, *mirabile dictu!*
Emicuit. VIRG.

d. Rei valde probrosæ et turpis, ut idem Virgilius de Antonio copias adversus Cæsarem movente :

Ægyptum, viresque orientis, et ultima secum
Bactra vehit, sequiturque, *nefas!* ægyptia conjux.

Interdum etiam longiores sunt affectuum interjectiones, ut in his versibus Virgilii :

Tum magnum exitium, *quod Dî prius omen in ipsum*
Convertant! Priami imperio, Phrygibusque futurum.

6° Per *Parenthesim*, quæ variis de causis, sed potissimum ad eorum quæ narrantur rationem explicandam, sententiæ solet interseri. Ita Virgilius de Androgeo per noctem in Trojanorum insidias delapso :

Dixit, et extemplo (neque enim responsa dabantur
Fida satis) sensit medios delapsus in hostes.

Ovidius de tempestate quâ navis sua quassata fluitabat :

Dî maris et cœli! (quid enim nisi vota supersunt?)
Parcite quassatæ solvere membra ratis.

7° Per *Periphrases*, seu *Circumlocutiones*. Hoc autem amplificandi modo plurimum gaudet elocutio poëtica, utpote qui plurimum removetur a solutæ orationis indole : inde ornatum et copiam depromit, rem eandem jucundis ac semper novis imaginibus describit, tenuia cum ornatu, grandia cum majestate eloquitur, atque ita animis legentium, qui assuetis nominibus minime tangerentur, suavem quamdam cum admiratione voluptatem inspirat. Phrasim hanc tenuem, *jam nox erat*, sic variis Periphrasibus auxerunt clarissimi poëtæ :

Tempus erat quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, et dono divûm gratissima serpit. VIRG.
Sidera prima poli, Phœbo labente sub undas,
Exierant, et luna suas jam fecerat umbras. LUC.
Humentes jam noctis equos, lethæaque somnus
Frena regens, tacito volvebat sidera cursu. STAT.

Interea placidam redimita papavera frontem
  Nox venit, et secum somnia nigra trahit. Ov.
.... Jam nox inducere terris
Umbras, et cælo diffundere signa parabat. Hor.

Arare, colere terram, multis quoque circumlocutionibus felicissime expressit Maro; earum quasdam exscribam, ut intelligant artis poëticæ studiosi quomodo eadem res ab instrumentis, a modo, ab adjunctis, ab effectis, pene in infinitum possit variari:

Depresso incipiat jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, et sulco attritus splendescere vomer. 1 G.
Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis. *Ib.*
Quod nisi et assiduis terram insectabere rastris. *Ib.*
Agricola incurvo terram dimovit aratro. 2 G.

Imprimis elegantes sunt circumlocutiones desumptæ a rebus aut personis fabulosis. Ex. gr. pro, *illucescit dies:*

Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile. Virg.
Jam tua, Laomedon, oritur nurus, ortaque noctem
  Pellit, et e pratis cana pruina fugit. Ov.

Atque hæc circumlocutionum exempla sufficiant; neque enim hîc earum indicem componere fuit animus, sed tantum præire alumnis nostris, ut ipsi similes proprio marte excogitent.

§ 2. *Amplificationes per longiorem accessionem.*

Ut facili methodo hunc articulum percurramus, distinguemus sex per longiorem accessionem amplificandæ elocutionis modos, unde potissimum veneres suas poëtarum oratio mutuatur; videlicet Enumerationem partium,

Comparationem, Definitionem, Ethopœiam, Prosopographiam, et Topographiam. In his elegans copia amplificationis poëticæ se porrigere et explicare præcipue solet.

1° *Enumeratio partium*, Græce Μερισμὸς, duplex est, altera per quam pro genere recensentur species generi subjectæ, altera per quam pro toto integrali ponuntur partes quibus totum conficitur. Utraque poëtis admodum familiaris est. Id vero ante omnia observabis, ne enumeratio ultra modum producatur, et ne velut fastidiosa, quam vocant, scientiarum nomenclatura, usque ad minimas species aut partes descendat. Duo afferemus exempla, quorum prius partes pro toto, et alterum pro genere totoque integrali species et partes ponit. Sententia simplex est : *omnia verno tempore rident* :

Omnia tunc florent, tunc est nova temporis æstas,
Et nova de gravido palmite gemma tumet;
Et modo formatis operitur frondibus arbor;
Prodit et in summum seminis herba solum;
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent,
Ludit et in pratis, luxuriatque pecus.
Tunc blandi soles, ignotaque prodit hirundo,
Et luteum celsâ sub trabe fingit opus.

In hac, ut vides, enumeratione vox *omnia* distribuitur in varias res, quæ lætam veris amœnitatem præcedere, aut præsentem indicare solent; illæ vero sunt, palmites in vitibus gemmantes, arbores frondentes, herbæ vernantes, canentes aves, ludens in pratis pecus, sol radians serenior, hirundo sub tectis nidificans. Alia adhuc sunt signa veris, sed illa omnia recensere ut fastidiosum ita stylo poëtico indignum fuisset.

Sentenția nuda alterius exempli : *virtutes in vultu tuo elucent :*

Excubat in placido tibi pulchra modestia vultu,
 Et roseus niveo regnat in ore pudor;
Simplicitas oculis, sacrâ facundia linguâ,
 Ridet in ingenuis gratia viva labris;
Majestas humeros, placidam clementia frontem,
 Pura verecundus pectora candor habet.
Pro foribus, video, famuli famulæque morantur,
 Virtutem dominam quis neget esse domi?

Vides quam eleganter duplici illa distributione, specierum nempe contentarum sub nomine generico virtutis, et partium integrantium vultûs, proposita sententia in longam amplificationem diffundatur. Servetur autem, quod supra jam monuimus, in enumerandis partibus modus, eæque tantum partes speciesve seligantur, quibus plurima inest dignitas sive venustas.

2° *Comparationes*, gr. παραδειγμάτα, vocantur duarum rerum, cæteroquin disparium, collatio propter aliquam convenientiam; hic quoque amplificandi modus est egregium ornamentum elocutionis poëticæ. Comparationes triplici de causâ solent adhiberi; vel ut rem propositam in illustri quâdam et perspicuâ imagine intuendam objiciant, vel ut mens gratiâ et dignitate imaginis delectetur, vel ut alatur et assurgat narratio quæ nimiâ æquabilitate tabesceret. Tres item sunt modi adhibendarum comparationum. Primus per adjectiva comparaviti gradus, ut in his versibus Violeti de Mariâ sine labe conceptâ :

Purior illimis rivi undâ, lacte recenti
Candidior, stellis *formosior* omnibus una.

Secundus modus est per breves similitudines, quarum vis elegantius exprimitur verbis activis quam adjectivis aut adverbiis comparantibus. Sic Goleti, loquens de Virgine Deiparâ, comparat illius oculos cum flammâ scintillante, frontis et genarum gratiam cum candidis liliis, labrorum ruborem cum rosis purpureis :

Aspicis ut geminos *accendat* luminis orbes
Gratia; divinam *depingant lilia* frontem,
Lilia pura genas; puris insculpta labellis
Purpureos *referant superentque* corallia flores.

Tertius tandem modus, quo maxime gaudent poëtæ, præsertim epici et lyrici, est per longiores similitudines. E millibus unum tantum hoc e lib. 2. Æn. citabimus exemplum, in quo Virgilius socios Æneæ, ad pugnam ruentes, comparat lupis famelicis :

Sic animis juvenum furor additus. Inde lupi ceu
Raptores, atrâ in nebulâ, quos improba ventris
Exegit cœcos rabies, catulique relicti
Faucibus exspectant siccis; per tela, per hostes
Vadimus.

Cavendum est præcipue, ne frequentiores sint similitudines, et ne sæpius ab eâdem re ducantur; tum enim nec variant orationem, nec animum recreant; item ne ducantur a rebus vilibus, ne ex. gr. exercitus Græcorum conferatur cum muscis, aut Ajax cnm asello. Vide quæ supra præcepimus de recto usu Metaphorarum, quæ sunt quoque similitudines, sed magis involutæ.

3° *Definitio* est oratio rei de quâ agitur naturam explicans. Ducuntur definitiones a nominis etymologiâ, a causis et effectis, a contrariis et negantibus, a simili-

tudinibus et partium enumerationibus etc. Optimæ sunt definitiones, quæ omnem rei vim et potestatem ita dilucide proponunt et breviter explicant, ut neque pluribus verbis oportuisse, neque lucidius potuisse dici putetur; uno verbo, quæ brevissimam simul et pulcherrimam rei imaginem exhibent. Politianus per eximiam definitionem hominis sic extendit simplicem hanc sententiam : *nuper creaverat Deus hominem :*

Intulerat terris nuper mundoque recenti
Cura dei sanctum hoc animal, quod in æthera ferret
Sublimes oculos, quod mentis acumine totum
Naturæ lustraret opus, causasque latentes
Eliceret rerum, et summum deprenderet ævi
Artificem, nutu terras, maria, astra regentem;
Quod fictum ratione animi substerneret uni
Cuncta sibi, ac vindex pecudum, domitorque ferarum
Posset ab ignavo senio defendere mundum.

Circumlocutiones non differunt a definitionibus, nisi quod illæ brevius rei naturam explicant, hæ vero passim uberiore stylo fluunt.

4° Omnium amplificationum poëticarum sine dubio luculentissima est *Descriptio ;* non enim solum extendit augetque orationem, sed mirifice etiam recreat animum legentis, variarum rerum imagines oculis exhibens. Descriptio non minus late patet quam ipsa Poësis. Hinc res divinæ, astrorum motus et splendor, elementorum admirabilis concentus, mores diversarum gentium et privatorum hominum, studia animantium, regiones remotissimæ, sylvarum recessus, ventorum tempestatumque fragor, omnia denique, quorum cognitio haberi potest, amplam penicillo poëtarum materiam præbent.

At quia jam supra, cap. 7. pag. 131, actum est de illâ descriptionis specie, quæ Diatyposis dicitur, superest, ut nunc quædam adhuc dicamus de Ethopœiâ, Prosopographiâ et Topographiâ.

Ethopœia, ab ἦθος-ποιέω, *mores fingo*, describit personarum indolem. Ethopœia historica in hoc differt a poëticâ, quod illa narrat qualis fuerit indoles personarum, hæc vero qualis esse potuerit vel debuerit. Quare poëta, cum mores describit, ita veris falsa remiscet, ut omnia respondeant opinioni, quam de personis concepimus, aut quam ipse in suo carmine, si novam personam fingit, nobis inspirare cupit. Unde Horatius in A. p.

> Aut famam sequere, aut sibi convenientia finge
> Scriptor. Honoratum si forte reponis Achillem,
> Impiger, iracundus, inexorabilis, acer
> Jura neget sibi nata, nihil non arroget armis.
> Sit Medea ferox, invictaque; flebilis Ino;
> Perfidus Ixion; Io vaga; tristis Orestes.

Ut autem cuique personæ reddat convenientia, teneat poëta animo scientiam temporum præteritorum, noscat mores et officia variarum conditionum ætatumque, respiciat exemplar vitæ, et inde veras voces depromat. Sequens descriptio diversarum ætatum vitæ humanæ omni numero perfectam Ethopœiam exhibet :

> Reddere qui voces jam scit puer, et pede certo
> Signat humum, gestit paribus colludere, et iram
> Colligit, ac ponit temere, et mutatur in horas.
> Imberbis juvenis, tandem custode remoto,
> Gaudet equis, canibusque, et aprici gramine campi,
> Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,

Utilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque et amata relinquere pernix.
Conversis studiis, ætas animusque virilis
Quærit opes et amicitias, inservit honori,
Commisisse cavet quod mox mutare laboret.
Multa senem circumveniunt incommoda, vel quod
Quærit, et inventis miser abstinet, ac timet uti,
Vel quod res omnes timide gelideque ministrat,
Dilator, spe longus, iners, avidusque futuri,
Difficilis, querulus, laudator temporis acti
Se puero, censor, castigatorque minorum. Hor.

Pictor luculentissimus simul et sagacissimus morum, procul dubio, Tacitus est, e cujus scriptis præstantissimi poëtæ, ut Racinius et Corneillius, egregias Ethopœias, ad carmina sua exornanda, hauserunt.

5° *Prosopographia*, a πρόσωπον-γράφω, *faciem pingo*, delineat imaginem vultûs et corporis personarum, quæ vel extiterunt aliquando, ut Alexandri, Annibalis, Neronis; vel quæ a poëtis fictæ sunt, ut Furiarum, Mortis, Invidiæ et similium. In utroque genere se extendere gaudet Prosopographia; at cavendum est ne versetur circa formas indignas imitatione poëticâ, sed contra circa eas, quæ et admirationem moveant, et latentem animi indolem prodant. Tales sunt apud Homerum descriptiones Achillis, Ajacis, Polyphemi; apud Maronem Hectoris, Æneæ, Mezentii; apud Ovidium Famis, Invidiæ etc. Virgilius lib. 4. Æn. sic graphice depingit Atlantem, vastæ molis Gigantem a diis in montem transmutatum:

.... Iamque volans apicem et latera ardua cernit
Atlantis duri, cœlum qui vertice fulcit,
Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris

Pinniferum caput, et vento pulsatur et imbri;
Nix humeros infusa tegit : tum flumina mento
Præcipitant senis, et glacie riget horrida barba.

Observa in hac Prosopographiâ, corporis humani appellationes, quibus poëta utitur, per similitudinem etiam tribui posse partibus montis.

Non minus grata est hæc descriptio Angeli, lib. 3. Christ. H. Vida :

Nudus erat, roseis humeris tantum aurea læva
Pendebat demissa chlamys, quam fibula subter
Ilia tergemino mordebat rasilis auro,
Rubraque compactis pendebant cingula bullis.
Molles a tergo tractim succrescere plumæ,
Ac sensim geminas humeris assurgere in alas :
Tum suras gemmis inclusit, cætera nudus.
Oris multus honos, gratique e corpore motus
Haud nostri puerum generis testantur adesse,
Sed cœli sobolem, atque aulæ stellantis alumnum.

6° *Topographia*, a τόπον-γράφω, *locum depingo*, est poëtica descriptio locorum, ut regionum, montium, sylvarum, ædium, hortorum etc. Qualis est hæc descriptio portûs, in quem Æneam tempestate depulsum narrat Virgilius, lib. 1. Æn.

Est in secessu longo locus; insula portum
Efficit objectu laterum, quibus omnis ab alto
Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes geminique minantur
In cœlum scopuli, quorum sub vertice late
Æquora tuta silent; tum silvis scena coruscis
Desuper horrentique atrum nemus imminet umbrâ.
Fronte sub adversâ scopulis pendentibus antrum;

Intus aquæ dulces, vivoque sedilia saxo;
Nympharum domus. Hic fessas non vincula naves
Ulla tenent, unco non alligat ancora morsu.

Solent etiam poëtæ, dum virtutes, vitia, morbos, aliasque fictas personas describunt, pingere domos et regiones quas incolunt, loco tribuentes effecta et adjuncta ipsius personæ fictæ. Si ex. gr. sedes Famis sit describenda, fingatur sita in extremis oris Scythiæ glacialis, solum triste, tellus sterilis et lapidosa, sine fruge et arbore : si regia Solis, cuncta sint aurea, gemmata, radiantia. Ita Ovidius, lib. 11. Metam. convenientissimis coloribus depinxit aulam Somni :

Est prope Cimmerios longo spelunca recessu,
Mons cavus, ignavi domus et penetralia Somni;
Quo nunquam radiis oriens, mediusve, cadensve
Phœbus adire potest. Nebulæ caligine mistæ
Exhalantur humo, dubiæque crepuscula lucis.
Non vigil ales ibi cristati cantibus oris
Evocat Auroram, nec voce silentia rumpunt
Sollicitive canes, canibusve sagacior anser :
Non fera, non pecudes, non moti flamine rami,
Humanæve sonum reddunt convicia linguæ.
Muta quies habitat. Saxo tamen exit ab imo
Rivus aquæ Lethes, per quem cum murmure labens
Invitat somnos crepitantibus unda lapillis.
Ante fores antri fœcunda papavera florent,
Innumeræque herbæ, quarum de lacte soporem
Nox legit, et spargit per opacas humida terras.
Janua ne verso stridorem cardine reddat,
Nulla domo totâ est; custos in limine nullus.
At medio torus est, ebeno sublimis, in antro,
Plumeus, unicolor, pullo velamine tectus,
Quo cubat ipse Deus, membris languore solutis.

CAPUT IX.

De Præsidiis ad Poësim consequendam.

Quamvis poëtæ nascantur, ac sine afflatu quodam furoris divini nemo Parnassi juga valeat conscendere, non tamen credendum est, felicem naturam ita sufficere, ut nullâ disciplinâ nullove auxilio aliunde petito indigeat: nam ingenium etiam generosissimum, nisi rationis cultæ freno dirigatur, aberrat a recto tramite, perque avia sine more vagatur; ac pauci sunt, qui ex semetipsis, velut fonte perenni, omnia haurire queant. Quare, ut rude metallum e fodinis ubi latet eruendum, deinde multo cum labore expoliendum est, ut luceat; sic emergere et fulgere nequit ingenii lumen, nisi lectione, exercitatione et imitatione ignorantiæ nubes depellantur. Lectio præcedat, teneatur styli forma, imitationeque transferantur in animum nostrum virtutes, quibus clari vates immortalem sibi gloriam pepererunt. Unde sequitur, præter artis præcepta, tria esse quibus ingenium poëticum adjuvetur, scilicet *Lectionem*, *Exercitationem* et *Imitationem*.

In hoc cap. sequemur præcipue laudatam supra artem metricam, et Donati artem poëticam.

§ 1. *De Lectione.*

Utilitatem lectionis nemo ignorat; alit enim ingenium, studio fatigatum grate reficit, et ad nova excogitanda suscitat. Quod egregiâ similitudine Cicero sic

exornat, l. 2 de Or. « Cum in sole ambulem, etiamsi » aliam ob causam ambulem, fieri tamen naturâ ut » colorer; sic cum istos libros studiosius legerim, sentio » orationem meam istorum cantu colorari (1). » Et Seneca Ep. 108. « Sic quoque qui in unguentariâ tabernâ » resederunt, et paulo diutius commorati sunt, odorem » loci secum ferunt. » Quod quidem de omni elocutione dici potest, at de nullâ magis quam poëticâ, quæ nimirum ab usu vulgari est omnium remotissima, nec a nutricibus discitur. In lectione autem duo spectantur, quinam auctores sint legendi, et quomodo oporteat legere probatos.

De *legendis auctoribus* varia est auctoritas. Cicero libro 1, de Oratore, « Exercenda est, inquit, memoria » ediscendis quam plurimis e nostris et alienis, omnium » bonarum artium scriptores et dictatores legendi et » pervolutandi, perdiscenda omnis antiquitas. » Aliter Seneca, Ep. 2. « Vide ne ista lectio multorum auctorum » et omnis generis voluminum habeat aliquid vagum » et instabile. Certis ingeniis immorari et innutriri » oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat. Nusquam est qui ubique est. Distrahit » animum librorum multitudo : itaque cum legere non » potueris quantum habueris, sat est habere quantum » legas. » At si mentem utriusque paulo attentius examines, nullam discrepantiam deprehendes. Qui cum Cicerone multifariam lectionem commendant, ii respiciunt rerum inventionem et suppellectilem, quæ nimia

(1) *Cantu colorari* non videtur recte instituta Metaphora; melius dixisset : *splendore colorari.*

esse nequit : qui vero contrariam, cum Senecâ, sententiam defendunt, hi solam styli expolitionem spectant, quam assequeris paucos eligendo, et ad eorum exemplar dictionem tuam informando.

Non æque facile dixerim, qui præ cæteris tibi maxime conveniant; habent enim singuli, quilibet in genere suo, proprios flores, proprium lumen; neque, ut sapienter monet Quintilianus, temere de tantis viris pronuntiandum est : præterea trahit sua quemque voluptas, suaque natura. Non tamen dubitem præcipere inchoandum ab Homero, omnium venustatum poëticarum fonte inexhausto; hunc

Nocturnâ versate manu, versate diurnâ.

Tum jubebo evolvere Virgilii scripta, Homericis certe proxima, et elocutioni poëticæ informandæ utilissima. His addere oportet ætatis aureæ præstantissimos poëtas, Sophoclem, Euripidem, Pindarum, Aristophanem, Terentium, Tibullum, Propertium, Ovidium, Horatium. Illis immorabere, gaudebis, frueris. Robusto tandem stylo et jam adulto, poteris etiam aggredi cæteros, qui consequentibus ætatibus floruerunt; ita tamen ut, postquam ad hos diverteris, ad illos, præsertim Smyrnæum et Mantuanum, redeas. Abstinendum ab impuris carminibus, apum more, quæ mortuis ne floribus quidem, nedum corporibus insident.

Legendi modus talis sit, ut lecta non solum in memoriam sed etiam in ingenium penetrent. Non impetu transcurrere licet, nec avide invadere universa, scilicet ne plura occupes, quam quibus sufficere possis. Non a medio, quod a multis fieri solet, sed ab initio evolvatur

liber usque ad finem; neque prius, ubi occurrunt quædam intellectu difficiliora, procedendum est, quam ea bene perspexeris. Perlectus liber ex integro deinde repetatur; latent enim frequenter nonnullæ virtutes, quæ primam lectionem effugiunt. In auctoribus legendis consideranda sunt res et verba, nam utrumque imitationi subjicitur : fixis igitur oculis perscrutandum est, quâ ratione ordiantur, progressi digrediantur, concludant; quibus affectibus, moribus, fictionibus, ac sententiarum verborumque luminibus scripta sua exornent; quid in re simili abs te fieri possit. Uno verbo, legendus est liber diligentissime, et pene ad scribendi sollicitudinem. Tandem monet Seneca, ut quæcunque ex diversâ lectione congessimus, animo et libellis separemus, et apes imitemur, quæ floribus melliferis se insinuant, deinde quos ebibere succos, domum afferunt et per favos disponunt. Sic quæ fuerunt aliena, per novam prudentemque elaborationem, fient nostra.

§ 2. *De Exercitatione.*

Sola autem lectio, si deest exercitatio, plerumque sterilis est. Invicem hæc illâ commutanda, et altera alterius ope temperanda, ut, quidquid lectione collectum fuerit, stylus redigat in corpus. Ut terra alte defossa generandis alendisque seminibus fœcundior est, sic exercitatio quotidiana studiorum fructus effundit uberius, ac fidelius continet. Ut paucis omnia complectar : scribendo fit ut bene scribatur.

Sed quid Poësim addiscenti scribendum?

Cavebis ante omnia, ne sumas materiam, quæ vires

tuas obruat, memor hujus præcepti Horatiani in Ep. ad Pisones :

> Sumite materiam vestris, qui scribitis, æquam
> Viribus, et versate diu, quid ferre recusent
> Quid valeant humeri.

Ab exordio proderit multum ea quæ legeris, quasi *æmulum scribere*, lectisque conferre, ac sedulo pensitare, quid tu, quid ille melius. Nullum dedecus si illo mansisti inferior, magnum incitamentum si eum assecutus es, ingens gloria si superasti.

Deinde præcipitur ex unâ linguâ *vertere* in aliam, e græcâ ex. gr. in latinam : nam hoc genere exercitationis paratur proprietas splendorque verborum, vis explicandi, et facultas similia inveniendi; simul quæ legentem fefellissent transferentem fugere non possunt. Ex hoc intelligentia, et judicium, et pulchri sensus acuuntur. Ita Cicero Demosthenis orationem pro Ctesiphonte, Sophoclis Herculem furentem, Arati carmen de astrorum situ motuque, aliaque plura in latinum sermonem translata edidit.

At, ne semper adhæreas alienis vestigiis, jubebo *sententias* ex industriâ assumtas vario carmine varias in formas ducere; semper enim in adolescente copia laudatur, unde aliquid possit amputari : item alicujus loci, personæ, rei, actionis *descriptionem* studiosius concinnare; nihil enim Poësi familiarius quam in ejusmodi descriptionibus evidens explanatio : tum *affectum* quempiam, ut iræ, amoris, spei, anxietatis, gaudii, timoris, misericordiæ, more Dramaticorum vel Epicorum colorare, et suis lineare partibus : *mores* item

juvenis, senis, avari, rustici, militis, aliorumque diligentius exprimere; sunt enim hæ umbratiles quodammodo prolusiones ad majorem scribendi contentionem.

Denique, ubi vires invaluerint, *integrum carmen* tentare oportebit; incipies autem a facilioribus, qualia sunt Epigrammata, Inscriptiones, Allegoriæ, Fabellæ Æsopicæ, Elegiæ, Idyllia, Hymni; atque ab iis ad altiora, ut Epopœiam et poëma Dramaticum ascendes. In eo tandem carminum genere quiesces, ad quod natura et ingenium te vocant.

Quomodo vero instituenda est scribendi exercitatio, ut quamplurimum prosit?

Scribendum est maximâ cum prudentiâ, assiduitate et attentione animi. Quæramus, aït Quintilianus, optima, nec protinus se offerentibus gaudeamus; adhibeatur judicium inventis, dispositio probatis. Hoc constituendum, hoc obtinendum est, ut quam optime scribamus; celeritatem dabit consuetudo; paulatim res facilius se ostendet, verba respondebunt, compositio sequetur. Summa rei hæc est; bene scribendo fit, ut etiam cito scribatur.

Omnibus ad finem perductis, eadem de integro cognosces, et ad ultimam limam revocabis. Poteris etiam scripta post oblivionem retractare, multa retinere, plura transire, alia transcribere, alia rescribere : laboriosum hoc et tædio plenum, sed difficultate ipsâ et morâ fructuosum. Recalesces ex integro, et resumes impetum fractum omissumque. Hinc Horatius in A. p.

.... Carmen reprehendite, quod non
Multa dies et multa litura coërcuit, atque
Præsectum decies non castigavit ad unguem.

Nimia tamen anxietas circa syllabas, numeros et verba, perpetuusque limæ labor non polit sed exterit opus.

Ad postremum consule viros eruditos, quod in alienis erratis lyncei sumus, in nostris lippi cœcique. Sit autem censor, qualem voluit Horatius :

Vir bonus et prudens versus reprehendet inertes;
Culpabit duros; incomptis allinet atrum
Transverso calamo signum; ambitiosa recidet
Ornamenta; parum claris lucem dare coget;
Arguet ambigue dictum; mutanda notabit.

Censores tamen monendi sunt, ne, dum ad sui normam styli cuncta redigere cupiunt, ignotum characterem, tanquam vitiosum, expellant alienis paginis.

§ 3. *De Imitatione.*

Nullum est dubium quin elocutionis, imo totius artis poëticæ magna pars contineatur imitatione: nam ut invenire fuit primum ac præcipuum, sic quæ inventa sunt prudenter sequi secundum est. Imitari autem est exercitatione effingere, quæ maxime in aliis excellunt. Sed hoc ipsum, nisi caute et cum judicio fiat, plus nocet quam prodest; repudiatis enim nostris, aliena sola sequi non liberalis imitatio, sed intoleranda servitudo vocatur. Oportet contra, ut cum auctore, quem imitandum nobis proponimus, de palmâ decertemus; nam qui agit ut prior sit, forsan, etiamsi non superaverit exemplar propositum, illud æquabit, aut saltem secundas ab eo consequetur. Servili item imitatione fit, ut in arctum incidamus

Unde pedem proferre pudor vetat aut operis lex. Hor. A. p.

Multo melius Homerum aliosque antiquos poëtas imitatus est Maro, in cujus carminibus non minori lumine fulgent inventa Græcorum, quæ transtulit in linguam suam patriam, quam quæ ante intacta invenit ipse :

Aspice ut insignis peregrino incedat in auro
Fatidicæ Mantûs, et Minci filius amnis,
Fulgeat ut magni exuvias indutus Homeri. VIDA A. p.

Videndum est ante omnia quos imitemur; scilicet præstantissimos. Errant tamen graviter qui aureorum omnia credunt aurea : ipse quandoque bonus, Horatio teste, dormitat Homerus. Sunt et quædam prorsus inimitabilia, nempe ingenium, et quidquid arte tradi nequit : facilius clavam Herculis manibus extorqueas, quam has virtutes primi nominis auctoribus subripias. Consulat quivis naturam ingenii sui, illiusque regulâ studia sua metiatur. Cui tenue ingenium, ille ne velit sola fortia, abrupta, pindarica; cui ingenium forte et virile, ne Anacreonticæ Veneris amore vires suas frangat. Quare

Tu nihil invitâ facies dicesve Minervâ. HOR. A. p.

Cavendum est quoque, ne, dum exempli propositi virtutes superare conaris, in vitia contraria declines. Maxima quippe pars vatum, inquit Horatius, decipimur specie recti :

.... Brevis esse laboro,
Obscurus fio : sectantem levia nervi
Deficiunt animique : professus grandia turget.
Qui variare cupit rem prodigialiter unam,
Delphinum sylvis appinget, fluctibus aprum. Art. poët.

Attamen nimia anxietas, viriumque suarum diffidentia imitationem reddit enervem;

> Serpit humi tutus nimium timidusque procellæ. *Ibid.*

In omnibus poëtis quædam sunt virtutes, quas, datâ occasione, in quolibet carminum genere possis imitari; multæ proprium habent colorem, quæ in aliud genus transferri nequeant. Ita qui in levi Idyllio Homerum sequeretur, importunus pro calamo agresti Faunis Satyrisque odiosam tubam inflaret. Hinc sapienter idem Horatius :

> Descriptas servare vices operumque colores,
> Cur ego, si nequeo ignoroque, poëta salutor.

Tandem imitatio raro sit occupata in verbis : illuc potius intendamus animum, ut assequamur, quantum divinis vatibus fuerit decoris in numero poëtico, sententiis, moribus, rerum personarumque fictionibus; quæ totius operis œconomia, quæ et quam varia narrandi ratio, quæ in commovendis affectibus efficacia : spiritus demum inspiret nos, non mortua littera. « Variorum libamina, inquit Seneca Ep. 14, omni ingenii curâ in unum saporem oportet confundere, ut, etiamsi apparuerit unde sit sumptum, aliud tamen esse, quam unde sumptum est, appareat. Quod in corpore nostro videmus sine operâ nostrâ facere naturam. Alimenta quæ accepimus quamdiu in suâ qualitate perdurant, et solida innatant stomacho, onera sunt : at cum ex eo, quod erant, mutata sunt, tunc demum transeunt in vires et sanguinem. Idem in his, quibus aluntur ingenia, præstemus, ut quæcunque

» hausimus non patiamur integra esse, ne aliena sint,
» sed concoquamus illa; assentiamur illis fideliter et
» nostra faciamus, ut unum quiddam fiat ex multis,
» sicut unus numerus fit ex singulis. Hoc faciat animus
» noster : omnia, quibus est adjutus, abscondat, ipsum
» tantum ostendat quod effecit. »

Hocce modo Virgilius imitatus est Theocritum in Bucolicis, Hesiodum in Georgicis, Homerum in Æneïde. Hujus poëmatis ideam, descriptionem, et dispositionem partim ad Odysseæ, partim ad Iliadis exemplum expressas esse negari nequit : permulta quin etiam verborum sententiarumque schemata ex Homero translata cernes : non facile enim, ait Heynius, assequare, quomodo poëta Græcorum lectione subactum habens et ornatum ingenium, cum ad opus suum se converteret, ita animo expelleret omnia quæ legerat, ut nihil ex pristinâ lectione in ipsius scriptis occurreret. Maxima autem eorum, quæ imitatione expressit, pars ejusmodi est, ut non tam, datâ operâ, Homeri verba et ideas reddere voluisse, quam in ea incidisse videatur, ipsâ re, quæ olim in simili argumento legerat, in memoriam revocante. Quæ imitandi ratio multum differt ab illâ servili, quam supra perstrinximus. Ut alumnis Musarum rectum imitandi modum exemplo quodam demonstremus, indicabimus fontes, unde Virgilius hausit nonnullas ideas et voces, quibus exornavit, lib. 1. Æn. descriptionem tempestatis, quâ classis Æneæ in Africam depulsa est.

Talia flammato secum Dea (Juno) corde volutans,
Nimborum in patriam, loca fœta furentibus austris

Æoliam venit (1). Hic vasto rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis et carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure montis
Circum claustra fremunt (2); celsâ sedet Æolus arce
Sceptra tenens, mollitque animos et temperat iras.
Ni faciat, maria ac terras cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, verrantque per auras (3).
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens; molemque et montes insuper altos
Imposuit, regemque dedit qui fœdere certo
Et premere, et laxas sciret dare jussus habenas.
Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est:
  Æole, namque tibi divûm pater atque hominum rex (4)
Et mulcere dedit fluctus et tollere vento (5);
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,

---

(1) Αἰολίην δ' ἐς νῆσον ἀφικόμεθ', ἔνθα δ' ἔναιεν
Αἴολος. ODYS. x.

Eosdem versus Virgilii egregie imitatus est Quintus Smyrnæus, lib. 14.

Ἵκετο δ' Αἰολίην, ἀνέμων ὅθι λάβρον ἀέντων
Ἄντρα πέλει στυγερῇσιν ἀρηραμέν' ἀμφὶ πέτρῃσι.

(2) .... Quas venti cum tempestate coortâ
Complerunt, magno indignantur murmure clausi. LUCR. VI.

(3) .... Corpora cœca,
Quæ mare, quæ terras, quæ denique nubila cœli
Verrunt, ac subito vexantia turbine raptant. *Ibid.*

(4) Passim Homerus, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε. Et Ennius An. l. IV.

Tum cum corde suo divûm pater atque hominum rex
Effatur.

(5) Homerus lib. x. Odys.

Κεῖνον γὰρ ταμίην ἀνέμων ποίησε Κρονίων,
Ἠμὲν παυέμεναι, ἠδ' ὀρνύμεν, ὅν κ' ἐθέλῃσι.

Ilium in Italiam portans, victosque penates (6).
Incute vim ventis, submersas obrue puppes;
Aut age diversos, et corpora disjice ponto.
Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphæ;
Quarum quæ formâ pulcherrima, Deïopeam,
Connubio jungam stabili, propriamque dicabo,
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, et pulchrâ faciat te prole parentem (7).
 Æolus hæc contra: Tuus, o Regina, quid optes
Explorare labor; mihi jussa capessere fas est (8).....
 Hæc ubi dicta, cavum conversâ cuspide montem
Impulit in latus (9). At venti, velut agmine facto,
Quà data porta ruunt, et terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque a sedibus imis
Unà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis

---

(6) Euripides in Oreste:

Πάρις, ὅς ἄγαγ' Ἑλλάδ' εἰς Ἴλιον.

Pulchre etiam Ovidius, Fast. IV. sed imitans Virgilium:

Quum Trojam Æneas Italos portaret in agros.

(7) Homerus Iliadis lib. ξ.

Ἀλλ' ἴθ' ἐγὼ καί τοι Χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων
Δώσω ὀπυιέμεναι, καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν
Πασιθέην, ἧς αἰὲν ἱμείρεαι ἤματα πάντα.

(8) Homerus in eodem libro:

Αὔδα ὅ, τι φρονέεις· τελέσαι δέ με θυμὸς ἄνωγεν.

Eodem modo Euripides:

Τί ταῦτα μῆτερ· σὸν τὸ μηνύειν, ἡμῶν δ' ἀκούειν

(9) Hæc eadem apud Quintum l. 1.

Χερσὶν ὑπ' ἀκαμάτοισιν ὄρος μέγα τύψε τριαίνῃ
. . . . βίᾳ δ' ἔῤῥηξε κολώνην.

Africus, et vastos volvunt ad littora fluctus (10).
Insequitur clamorque virûm stridorque rudentum.
Eripiunt subito nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis; ponto nox incubat atra;
Intonuere poli, et crebris micat ignibus æther (11),
Præsentemque viris intentant omnia mortem (12).
Extemplo Æneæ solvuntur frigore membra (13):
Ingemit, et duplices tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert: O terque, quaterque beati,
Queis ante ora patrum, Trojæ sub mœnibus altis,
Contigit oppetere (14)! O Danaûm fortissime gentis

(10) Cum hac descriptione confer versus sequentes lib. 4. Od.

Ὣς εἰπὼν σύναγεν νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον
Χερσὶ τρίαιναν ἑλών, πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας
Παντοίων ἀνέμων, σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε
Γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον, ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νύξ.
Σὺν δ' εὖρος τε νότος τ' ἔπεσε, ζέφυρος τε δυσαὴς,
Καὶ βορέης αἰθρηγενέτης, μέγα κῦμα κυλίνδων.

(11) Confer etiam hanc Pacuvii:

Interea prope jam occidente sole, inhorrescit mare,
Tenebræ conduplicantur, noctisque et nimbûm occæcàt nigror,
Flamma inter nubes coruscat, cœlum tonitru contremit,
Undique omnes venti erumpunt, sævi existunt turbines,
Fervet æstu pelagus.

(12) Hom. Odyss. ε.

. . . . πολλὰ δέ οἱ κραδίη προτιόσσετ' ὄλεθρον.

(13) Hom. *Ibid.*

Καὶ τότ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα καὶ φίλον ἦτορ.

(14) Hom. *Ibid.*

Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, οἱ τότ' ὄλοντο
Τροίῃ ἐν εὐρείῃ, χάριν Ἀτρείδῃσι φέροντες.

Tydide (15), mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse, tuâque animam hanc effundere dextrâ (16)!
Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi ingens
Sarpedon (17), ubi tot Simois correpta sub undis
Scuta virûm, galeasque, et fortia corpora volvit (18).
Talia jactanti stridens aquilone procella
Velum adversa ferit, fluctusque ad sidera tollit (19).
Franguntur remi; tum prora avertit, et undis
Dat latus (20); insequitur cumulo præruptus aquæ mons (21), etc.

---

(15) Homerus quoque dixit de Diomede, Il. ζ.

Ὃν δὴ ἐγὼ κάρτιστον Ἀχαιῶν φημὶ γενέσθαι.

(16) Hom. Od. ε.

Ὡς δὴ ἔγωγ' ὄφελον θανέειν καὶ πότμον ἐπισπεῖν.

(17) Hom. Od. γ.

Ἔνθα μὲν Αἴας κεῖται ἀρήϊος, ἔνθα δ' Ἀχιλλεύς...
Ἔνθα δ' ἐμὸς φίλος υἱὸς, ἅμα κρατερὸς καὶ ἀμύμων.

(18) Hom. Il. μ.

Καὶ Σιμόεις, ὅθι πολλὰ βοάγρια καὶ τρυφάλειαι
Κάππεσον ἐν κονίῃσι, καὶ ἡμιθέων γένος ἀνδρῶν.

(19) Hom. Od. ε.

Ὡς ἄρα μιν εἰπόντ' ἔλασεν μέγα κῦμα κατ' ἄκρης,
Δεινὸν ἐπεσσύμενον.—μέσον δέ οἱ ἱστὸν ἔαξεν
Δεινὴ μισγομένων ἀνέμων ἐλθοῦσα θύελλα.

(20) Hom. Od. ι.

Αἱ μὲν ἔπειτ' ἐφέροντ' ἐπικάρσιαι, ἱστία δέ σφιν
Τριχθά τε καὶ τετραχθὰ διέσχισεν ἲς ἀνέμοιο.

(21) Hom. Od. γ.

Κύματα τε τροφόεντα, πελώρια, ἶσα ὄρεσσιν.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 3, l. 23; pro *quem*, lege *quam*.
» 4, » 17; pro *adstricti*, lege *soluti*.
» 10, » 12; pro alito, l. *alto*.
» 12, » 2; pro *Ortyigiæ*, l. *Ortygiæ*
» 12, » 2; deleatur *aperto*.
» 12, » 10; deleatur *mea*.
» 25, » 2; verbis *ultima sedes* adde *versuum Iambicorum*.
» 25, » 11; deleatur punctum in fine lineæ.
» 37, » 18; pro certos, lege *certas*.
» 38, » 10; pro Δαβὰν, l. Δαβὰν.
» 44, » 12; pro *majori*, l. *minori*.
» 84, » 15; a voce *ægri* magis separetur *Succidimus*.
» 86, » 19; pro *capite* 6°, lege *capite* 7°.
» 130, » 5; pro *sed qui dego*, l. *sed quid ego*.